DAV. RUHNKENII

DICTATA

AD

OVIDII HEROIDAS

ET

ALBINOVANI ELEGIAM

DAV. RUHNKENII
DICTATA
AD
OVIDII HEROIDAS
ET
ALBINOVANI ELEGIAM.

NUNC PRIMUM EDIDIT

FRID. TRAUG. FRIEDEMANN.

LIPSIAE,

SUMTUS FECIT AC VENUMDAT C. CNOBLOCH.

1831.

Typis Andreae Francofurti a. M.

GODOF. SEEBODIO,

GYMNASII ANDREANI HILDESIENSIS PRAEFECTO,

S. P. D.

FRID. TRAUG. FRIEDEMANN.

Habes tandem aliquando, Vir Doctissime, quae ante septem fere annos edi a me voluisti, Ruhnkenii dictata in lucem protracta. Moras operi me quidem invito injectas et nosti optime et in homine scholastico facile excusabis. Quae in Tuo exemplo erant lacunae, Zumptius noster ex Santenii copiis, Berolini in Diezii apparatu servatis, supplevit. Geelii autem, viri amicissimi, humanitas effecit, ut ex ipsius Ruhnkenii volumine, quod est Lugduni Batavorum, omnia diligentissime emendarentur. Quae Tu, Vir Clarissime, idem mihi eodem tempore tradideras dictata Ruhnkenii in Suetonii

vitas imperatorum, interea vulgavit Geelius, et ita vulgavit, ut nemo sanus quidquam desideret. Si quis autem quaerat, quantum juventur literae latinae his dictatis editis, satis ei, opinor, responsum est a me in praefatione opusculorum Ruhnkenii denuo collectorum p. LXVII sq. Scilicet *Indocti discant, et ament meminisse periti.* Tu vero, quod naviter facis, antiquitatis studiis prodesse perge, ac fruere his nobiscum. Vale, et qualecumque hoc voluntatis meae diu Tibi debitum documentum aequi bonique consule. Scripsi Weilburgi in Nassovia Cal. Septemb. a. Ch. 1830.

Praestantissimi, humanissimi Commilitones.

Ex omnibus poetis, qui communem bonorum librorum stragem evaserint, non alius est, qui ingeniosorum hominum studium blandius alliciat, et, ubi semel allexerit, diutius constantiusque teneat, quam Ovidius Naso, in quo omnis aetas mirata est incredibilem ingenii vim, copiam, amoenitatem, largam ac felicem rerum sermonisque ubertatem, nativam praeterea simplicitatem, quae cuivis imperito facilis videatur ad imitandum, quamvis experienti sit nihil minus. Accedunt castigati et diligentes numeri, qui nusquam hient, sed sine concursu vocalium et confragosa elisione leniter fluant. Inter varia Ovidii opera, quae aetatem tulerunt, inprimis eminent *Heroides*, opus omnibus poeticis coloribus pictum et variegatum. Heroides vocantur illae epistolae, quod velut ab heroidibus ad heroes scriptae finguntur. Ex illa libri inscriptione olim suspicio injecta est viris eruditis, tres epistolas, nempe XVI, XVIII et XX, quae ab heroibus scriptae finguntur, non esse ad Ovidium auctorem referendas. Sed nullius momenti argumentum est, quod ex inscriptione ducitur. Nam haud dubie titulus effectus est ex parte potiore, quod pleraeque epistolae scriptae sunt heroum nomine. Equidem non dubitem, omnes Epistolas Ovidio tribuere, excepta XX Acontii ad Cydippen, quae parum digna est genio et venustate Ovidiana. Heroidum quibusdam epistolis heroum nomine respondit Aulus Sabinus, poeta aequalis Ovidii, quem ipse laudat Amor. II, 18, 27. Ex his Sabinianis tres Epistolae supersunt, duriores et obscuriores, nec ulla parte cum Ovidianis comparandae. Vitam poetae nostri narrare supersedemus. Ipse potiora, quae huc pertineant, elegantissime commemoravit Trist. IV, 10. Omnia vero secundum temporis rationes accuratissime digessit explicuitque Joannes Massonus, cuius Vita inserta est Ovidii Editioni majori. Varias Editiones recenset Fabricius in Bibl. latina. Sed omnium instar est praestantissima Burmanniana, non quod multum ornamenti habet e Burmanni ingenio et doctrina, sed quod continet Nicolai Heinsii notas tertia parte auctiores, quam ante editae essent. Uni Heinsio integritatem, uni Heinsio salutem debet Ovidius, quo inde a renatis literis non exstitit felicior Latinorum poetarum sospitator et interpres. Nec Ovidius solus huius laudis testis citari potest, sed etiam Virgilius, Valerius Flaccus, Silius Italicus, Claudianus, Prudentius, qui omnes ejus lima perpoliti prodierunt. Vere idoneus talis rei arbiter, Jac. Marklandus in praef. ad Statii Silvus p. 15. judicat, perfectam poetarum Latinorum intelligentiam vix uni et alteri contigisse, ante omnes vero divino quodam munere Nic. Heinsio, vero, ut ipse vocat, Phoebi alumno, et Calliopes sinu innutrito, qui aliud paene agens plura et difficiliora poetarum loca restituerit, quam omnes alii, qui ex instituto tali operi insudarint. Sed cum Heinsianis adnotationibus, in his quidem epistolis, semper conjungendi sunt commentarii eruditissimi, Gallica lingua scripti, Casparis Bacheti Meziriaci, et ad historiam mythologicam illustrandam comparati. Itaque, quo uberius mythica a Meziriaco explicata sunt, eo parcius nos illa attingemus. Nam nobis hoc potissimum negotii datum existimamus, tum ut interiores poetae sensus aperiamus, tum ut poeticae linguae veneres explicemus. Ceterum speramus, futurum, ut, si, quantum ego in docendo, tantum vos in discendo alacritatis attuleritis, non modo ad Ovidium, sed etiam ad reliquos poetas intelligendos, viam vobis communitam sentiatis.

Epist. I.

V. 1. *Hanc*] Subintell. *epistolam*, ut Ep. 10, 3. *Quam legis, ex illo, Theseu, tibi littore mitto* etc. Sic ap. Cic. et alios saepe omittitur vox *literae*; v. Sanct. Minerv. 4, 4. p. 599.

Tua Penelope] Elegans est h. l. pronomen *tua* proprio nomini additum et mire exprimit amoris teneritatem. Infra v. 83. *Tua sum, tua dicar oportet Penelope.* Tibull. 3, 1, 6. *Seu mea, seu fallor, cara Neaera tamen.* Sil. Ital. 8, 122. *Terque suam Dido, ter cum clamore vocarat;* ubi hanc elegantiam illustrat Drakenb. Adde Heins. ad Remed. Am. 492.

Lento] *Lentus* non modo significat tarde redeuntem, diutius morantem, sed etiam languide et segniter amantem; itaque frequens est convicium amatorium. Ep. 15, 210. *Hoc te, si saperes, lente, decebat opus.* Art. Am. 1, 732. *Pallidus in lenta Naide Daphnis erat.* vid. N. Heins. ad Ep. 15, 169.

Ulixe] *Ulyxes*, etsi tertiae declinationis est, tamen vocativum format *Ulyxe*, quasi primae declinationis esset; quod fit more Graecorum in aliis quoque nominibus propriis tertiae decl.: ita infra videbimus *Oreste, Achille, Aesonide;* vid. Voss. de anal. 2, 3.

V. 3. *Jacet*] *Jacere* proprie dicitur de urbe eversa. Metam. 13. 505. *Jacet Ilion ingens.* Phaedr. Fab. 4, 6, 13. *Et regna Peliae scelere Medeae jacent:* contra urbs, quae superest et floret, dicitur *stare.* Virg. Aen. 2, 56. *Trojaque nunc stares, Priamique arx alta maneres.* Liv. 31, 31. *urbem innoxiam stare incolumem pateremur;* ubi v. Drakenb.

Certe] Otiosum et languidum videtur P. Burmanno; itaque legere malit *Troja jacet per te*, ut uxor marito tribuat causam excisae Trojae; sed fefellit virum doctum sensus, qui hic est: Troja saltem eversa est, ut non possit amplius morae tuae causa esse.

Invisa] i. e. *odiosa;* nam puellae Graecae Trojam oderant, quod propter illam amatoribus suis carebant. Virg. Geo. 2, 320. *Candida venit avis, longis invisa colubris;* ubi *invisa* a Servio explicatur *odiosa.*

V. 4. *Vix Priamus tanti*] i. e. nec victus Priamus, nec Trojae excidium dignum fuit, ut tam diu abesses. Elegans est forma loquendi et frequens ap. Ovidium *tanti est.* Ep. 7, 45. *Non ego sum tanti, quamvis merearis, inique, Ut pereas, dum me per freta longa fugis.* Ep. 19, 97. *Ne non sim tanti* etc. Propert. 3, 18, 4. *Tantine in lucris Africa tota fuit?* ubi v. Broukhus.

V. 6. *Insanis*] Vir maximus R. Bentl. ad Lucan. 2, 673. credit, *sanas* potius aquas dicendas fuisse, si justis fluctibus adulterum obruissent, atque adeo legendum conjicit *Obrutus in canis esset adulter aquis.* Saepe fluctus propter spumas *cani* vocantur. Catull. 62, 18. *exstantes e gurgite cano.* Virg. Aen. 8, 672. *sed fluctu spumabant caerula cano.* Sed nimis subtilis est Bentleji ratio. *Insanos fluctus* poetae vocant magnos, vastos, nec ad alteram vocis notionem respiciunt. Virg. Ecl. 9, 43. *Insani feriant sine littora fluctus.* Senec. Hippol. 700. *Te vel per ignes, per mare insanum sequar.* Alia exempla dedit Heins. ad h. l. Sic *insanos* imbres dicit Sil. Ital. 1, 251. ubi v. interpp. Similiter mare et fluvii *furere* dicuntur: v. Drakenb. ad Sil. Ital. 10, 321.

Adulter] Paris, qui Helenam, Menelai uxorem, rapiens adulterium commisit.

V. 7. *Frigida*] *Frigidus jacere* dicitur, qui solus cubat, nec amore calescere potest. Ep. 19, 69. *Cur ego tot viduas exegi frigida noctes?* Art. Am. 3, 70. *Frigida deserta nocte jacebis anus.*

V. 8. *Tardos ire dies*] *Tardos* ponitur pro *tarde;* nihil enim frequentius apud poetas, quam adjectiva usurpari pro adverbiis. Hor. Carm. 1, 2, 25. *Serus in coelum redeas, diuque Laetus intersis populo Quirini.* Virg. Aen. 8, 465. *Nec minus Aeneas se matutinus agebat.* Interdum etiam prosae orationis scriptores hanc rationem sequuntur, ut Liv. 22, 12. *in aliquo flexu viae occultus subsistebat,* ubi v. Drakenb. *Tardus dies*

est, qui tarde, sive lente, procedere videtur. Hor. 1. Ep. 1, 21. *diesque Lenta videtur opus debentibus.* ubi v. Bentl.

Ire dies] *Ire* tempus dicitur, quod labitur. Plaut. Pseud. 1, 3, 12. *It dies; ego mihi cesso.* Ov. Fast. 2, 150. *Primi tempora veris eunt.* ubi v. N. Heins.

V. 9. *Quaerenti fallere noctem*] i. e. cupienti, studenti. Virg. Aen. 6, 614. *Ne quaere doceri.* Hor. 1. Carm. 2, 1. *Tu ne quaesieris scire.* ubi v. Lamb. *Fallere tempus* dicitur, qui confabulando vel aliud quid agendo efficit, ne tempus longum videatur. Ov. Trist. 3, 3, 11. *Non qui soletur, non qui labentia tarde Tempora narrando fallat, amicus adest.* Valer. Flacc. 2, 349. *Dapibus coeptis mox tempora fallunt.* Sic etiam dicitur *fallere laborem, iter* etc. Minuc. Fel. c. 3. *Fabulis iter fallentibus.* Ut hic *fallere noctem*, sic *decipere noctem* dixit Ov. Ep. 19, 55 et *decipere laborem* Trist. 4, 1, 14. Similis locutio est *levare viam sermone* ap. Virg. Aen. 8, 309. vid. Bentl. ad Horat. Carm. 2, 13, 38.

V. 10. *Viduas manus*] i. e. manus meas viduae. Solent autem poetae singulis partibus epitheta tribuere ea, quae sunt tali homini propria. Ep. 16, 315. *Sola jaces viduo tam longa nocte cubili,* i. e. *sola et vidua* jaces. Infra v. 92. *avidae manus Eurymachi* sunt manus *avidi Eurymachi.*

Pendula tela] Ex antiquae texturae ratione tela recta pendebat a jugo. Ov. Met. 4, 395. *pendens frondescere vestis.* Pendenti telae vel stamini veteres non sedentes, ut nunc fit, sed stantes vel ambulantes inserebant subtemen, et pectine densabant, unde natae sunt locutiones ἱστὸν ἐποίχεσθαι et *pectine percurrere telam.* v. Grammat. ad Hom. Il. A, 31. et Virg. Aen. 7, 14. Textoriam veterum artem egregie explicat Salmas. ad Vopisc. Aurel. c. 46.

V. 12. *Res est plena timoris amor*] Exquisite dicitur pro *amor est plenus timoris.* Ep. 6, 21. *Credula res amor est.* Ovidium imitatus poeta vetus Anthol. 3. ep. 82. p. 531. *spem* vocat *credulam rem.* Liv. 5, 18. *Concordiae, rei maxime in hoc tempus utili.* ubi v. Drakenb.

Sollicitus timor] i. e. qui reddit homines sollicitos et anxios. Ep. 8, 76. *Omnia solliciti plena timoris erant.* Sic Ep. 16, 83. *timor suspensus*, qui homines suspensos et sollicitos reddit. Ep. 5, 37. *gelidus tremor*, qui homines gelidos efficit.

V. 13. *In te-ituros*] i. e. hostili animo te aggressuros. Metam. 8, 403. *Ibat in adversum proles Ixionis hostem.* Liv. 2, 6. *Sensit in se iri Brutus.* 9, 43. *in quas cohortes victores vadunt.* Similiter praepositio *ad* aliquando ponitur pro *adversus*, atque impetum vel hostilem animum significat. Phaedr. 4, 3, 5. *Rediit ad hostem.* ubi v. Burm.

V. 14. *Nomine in Hectoreo pallida semper eram*] i. e. audito Hectoris nomine pallescebam, metu corripiebar. Sic Propert. 3, 6, 28. *Semper in irata pallidus esse velim,* ubi de elegante praepositionis usu v. Broukhus.

V. 17. *Menoetiaden*] i. e. Patroclum, Menoetii filium. Avus Patrocli Actor fuit, unde Actorides vocatur A. A. 1, 743. Patroclus vero, ut se Trojanis pro Achille probaret, Achillis arma induit et in proelium descendit; sed ab Hectore interfectus est; atque ita dolus ejus successu caruit. v. Hom. Il. *Π.* Hyg. fab. 106. et Meziriacum ad h. l.

Sub armis] i. e. in armis vel armatum. Virg. Geo. 3, 115. *Atque equitem docuere sub armis Insultare solo.* vid. Burm. ad Ov. Met. 8. 313.

V. 18. *Posse carere*] Verbum *posse* venustatis magis, quam necessitatis, causa additur. Hor. Carm. Saec. v. 11. *Possis nihil urbe Roma Visere majus* i. e. nihil visas. Tibull. 1, 11, 31. *Ut mihi potanti possit sua dicere facta Miles* i. e. ut dicat. Liv. 32, 13. *An reverti in Thessaliam posset,* i. e. an reverteretur: ubi v. Gronov. Hanc poetis praesertim usitatam elegantiam primus demonstravit Guil. Canterus Nov. Lect. 2, 2. et post eum alii multi.

V. 19. *Lyciam hastam*] vocat, quod Tlepolemus occisus est a Sarpedone, rege Lyciae. v. Hom. Il. E. Hyg. fab. 113. et Meziriacum ad h. l.

Tepefecerat] Cum sanguis natura sua calidus sit, poetae hinc venustum dicendi colorem traxerunt, ut vulnerato aliquo ferrum in ejus vulnere tepefactum dicant. Horat. 2. Serm. 3, 136. *In matris jugulo ferrum tepe-*

fecit acutum. Virg. Aen. 9. 419. *iit hasta Stridens, trajectoque haesit tepefacta cerebro.* Lucan. 4, 510. *cum calido fodiemus viscera ferro.*

V. 21. *Castris*] Ponitur pro *in castris.* Saepe illa praepositio reticetur. Nep. Paus. 1. *Eoque ipse dux cecidit proelio.* Sueton. Dom. 1. *natus est regione urbis sexta.* v. Voss. de Construct. 46. et Drakenb. ad Liv. 9, 32.

V. 22. *Frigidius glacie*] Timor millies cum frigore comparatur, et perpetuum ejus apud poetas epitheton est *frigidus* vel *gelidus.* v. Oudendorp. ad Lucan. 1, 246. *Frigidius glacie* loquendi forma proverbialis est; Rem. Am. 492. *Frigidior glacie fac videare tuae.* ubi v. Heins.

V. 23. *Deus aequus*] i. e. propitius, favens. Trist. 1, 2, 6. *Aequa Venus Teucris, Pallas iniqua fuit.* Art. Am. 2, 3, 10. *Fiet amatori lenis et aequa suo.* v. Drakenb. ad Sil. Ital. 3, 2.

V. 24. *Versa est in cinerem*] Bene Heins. ad h. l. et Bentl. ad Hor. 4. carm. 13, 28. legunt *in cinerem* pro *in cineres.* Nam singularis plus significat. *In cinerem* versa urbs est, quae sic deleta est, ut unus tanquam cinis facta sit; *in cineres* versa est, cujus aliquot partes incensae sunt. De hoc discrimine v. intpp. ad h. l. Val. Max. 5, 3, 2. *Cineres ei suos negavit, quam in cinerem collabi passus non fuerat.* Similiter Hor. 3. Carm. 3, 19. *Ilion, Ilion, Fatalis incestusque judex Et mulier peregrina vertit In pulverem.* Lucan. 2, 57. *Si placet Hesperium, superi, collatus in ignem Aether.* ubi plus notare *in ignem*, quam *in ignes* docet Burm. In universum observandum est, magis poeticum esse singulari uti, quam plurali, etiam ubi de pluribus agatur. v. Broukh. ad Propert. 1, 2, 3. et 11, 9.

V. 25. *Altaria fumant*] nempe thure et odoribus incensis, hostiisque mactatis pro salvo victorum reditu. Hor. 3. Carm. 18, 7. *vetus ara multo Fumat odore.*

V. 26. *Ponitur ad-Deos*] i. e. suspenditur, consecratur in templis Deorum. *Ponere* proprium dedicationis verbum est, ut Graecum ἀνατίθεσθαι, unde ἀνάθημα. Ov. Fast. 3, 268. *Et posita est meritae multa tabella Deae.* Virg. Aen. 6, 19. *posuitque immania templa.* Liv. 4, 20. *Coronam Jovi donum posuit.* In lapidibus literatis nihil frequentius; v. Muncker. ad Hygin. fab. 3 et 188. Broukh. ad Propert 2, 11, 27. *Dii* vero saepe dicuntur Deorum templa vel statuae. Tibull. 2, 5, 21. *quum moestus ab alto Ilion, ardentes respiceretque Deos*, ubi v. Broukh.

Barbara praeda] i. e. Trojana; nam Phryges per eminentiam quandam *barbari* vocantur. v. Ep. 17, 64. Virg. Aen. 2, 504 et Serv.

V. 27. *Nymphae*] Si sanum est hoc vocabulum, Graeco more capiendum est de mulieribus nuptis. v. d'Orvill. ad Charit. p. 69. Verum cum Ovidius Nymphas semper appellet *Semideas,* nunquam mulieres mortales, praestat cum Heinsio legere *nuptae*, quae voces a librariis etiam confunduntur. Fast. 3, 205. Et sic placet Broukh. ad Tibull. 3, 1, 21.

V. 28. *Troïus*] Pro *Troicus*, ut *Thracius* pro *Thracicus*, *Olympius* pro *Olympicus*, gentile pro possessivo. v. Heins. ad h. l. et Bentl. ad Hor. carm. 3, 3, 32.

Victa fata canunt] Hoc intelligendum ex veterum superstitione, quae duo fata statuebat, alterum majus, alterum minus. Saepe igitur minus fatum a majori victum in bello dicitur. Virg. Aen. 12, 795. *Jupiter ipse duas aequato examine lances Sustinet, et fata imponit diversa duorum*, scil. majus fatum Aeneae et minus Turni. Nummi quidam Impp. Rom. praeferunt *Fatis Victricibus*, quod perperam acceptum ab Ez. Spanhem. de Us. et Pr. Num. diss. 13. p. 639. Recte explicuit vir ill. Jo. Bouhierius ad Petron. carm. de bell. civ. 19. ubi minora fata *peritura* vocantur. De his fatis copiose disputarunt Bentl. ad Hor. 2. Ep. 1, 6 et Burm. ad h. l.

V. 29. *Justique senes*] *Justi* proprie *senes* dicuntur. v. Fast. 4, 524. et ibi Heins. *Trepidae* et *timidae* puellae etiam aliis locis vocantur.

V. 30. *Pendet ab ore*] i. e. studiose audit et audiendi cupiditatem explere vix potest. Ita *pendere ab imagine* dicitur, qui imaginem attente contemplatur, ap. Sil. Ital. 8, 93. ubi v. Drakenb.

V. 32. *Pingit*] Haec veterum consuetudo erat in conviviis. Tibull. 1, 11, 31. *Ut mihi potanti possit sua dicere facta Miles, et in mensa pingere castra mero.* v. Ciofan. ad h. l.

V. 33. *Hac*] scil. parte. v. Sanct. Min. 4, 4. p. 626.

Ibat] *Ire* et *currere* saepe fluvii dicuntur. Amor. 3, 6, 25. Inachus pallidus *isse* dicitur. Pomp. Mel. 3, 3. *mare it angustum et par freto.* Lucan. 7, 116. *turbidus ibit Enipeus.* v. Broukh. ad Tib. 1, 10, 36. Nec poetae dubitarunt aquis *pedes* tribuere. Virg. Cul. 17. *Castaliaeque sonans liquido pede labitur unda.* v. Drakenb. ad Sil. Ital. 6, 140.

V. 35. *Tendebat*] *Tendere* simpliciter dicitur tentorium figere atque adeo in castris esse. v. Virg. Aen. 2, 29. 8, 602. Frontin. 4, 1, 18. et ibi Tennul. Contra *detendi* tentoria dicuntur, cum funibus et paxillis sublatis componuntur. v. Caes. B. C. 3, 85. Liv. 41, 3.

V. 36. *Admissos equos*] *Admittere equum* est effuso cursu emittere, concitare. Caes. B. C. 2, 69. *Cum alii admissis equis eundem cursum conficerent.* v. intpp. ad h. l. et Drakenb. ad Liv. 2, 19. Sic *admissae pennae* pro concitatis ap. Virg. Aen. 11, 272. ubi adeundus N. Heins. Servius h. l. potius *amissis* legit. Eadem potestate dicitur *permittere* et *immittere* equum. Sisenna ap. Non. Marcell. p. 161. *equum incitatum princeps ad hostium permittit aciem.* Liv. 3, 77. *qua permissus equitatus turbaverat ordines.* ubi v. intpp.

V. 37. *Senior*] Pro *senex;* comparativus pro positivo, qui interdum minus significat, quam positivus. v. Voss. de Analog. 2, 23.

Te quaerere misso] i. e. misso ad te quaerendum; *mittere* saepe cum infinitivo construitur Graeco more. Metam. 5, 660. *rursusque per aëra misit Mopsopium juvenem, sacros agitare jugales:* ubi hanc formam pulcre illustrat Heins. Ter. Eun. 3, 3, 22. *Misit porro orare, ut venirem.* Caes. B. C. 3, 34. *in Thessaliam ire misit.* Eodem modo alia verba construuntur. Propert. 1, 1, 12. *Ibat et hirsutas ille ferire feras.* Val. Flacc. 4, 407. *Ditem volat aethere Memphin Praecipere.* Sic alii *censeo reddere*, *veni solvere* etc. v. Voss. de constr. 51. interpp. ad Val. Fl. 6, 647. et ad Sil. Ital. 4, 795. Oudend. ad Apul. 3. p. 197.

V. 38. *Retulerat*] Vulgo scribunt *rettulerat*, ut syllaba *re* producatur; sed anceps est illa syllaba in verbis compositis, quae a consonante incipiunt, ut *recido*, *reduco*, *refero*, *reperio;* contra brevis in illis, quae ad hiatum vitandum literam adsumunt, ut *redeo*, *redoleo*, aliisque. v. Voss. de Art. Gramm. 2, 19. Heins. ad Ov. Ep. 14, 46. ad Claud. bell. Gild. 44. et Drakenb. ad Sil. It. 1, 309.

Nato] i. e. Telemacho, qui missus erat ad patrem quaerendum.

V. 39. *Rhesumque Dolonaque*] Ulysses et Diomedes noctu ad speculanda Trojanorum castra egressi obvium sibi Dolonem Trojanum obtruncant, cumque ex Dolone audivissent, Rhesum, Thracum regem, qui recens Trojanis auxilio venerat, castra seorsum habere, hunc somno oppressum jugularunt et insignes ejus equos secum abduxerunt. v. Hom. Il. *K*. Eurip. in Rheso et Dictys Cret. 2, 45.

V. 40. *Hic somno — ille dolo*] Oudend. legit *loco*, scil. insidioso, quo Dolon incidit in Ulyssem et Diomedem. Sic Virg. Aen. 9, 396. de Euryalo *Fraude loci et noctis subito turbante tumultu Oppressum rapit.* Vulgatam tamen explicat Heusing. ad h. l. *Somno* proditus est Rhesus, Dolon *dolo*. Ex his apparet, contra vulgares Grammaticorum regulas, *hic* pertinere ad remotius, nempe Rhesum, *ille* ad propinquius, nempe Dolonem, quae ratio satis usitata est optimis scriptoribus, ut docuimus ad Rutil. Lup. 2, p. 126.

V. 41. *Ausus es*] *Audere* saepe dicitur de re difficili et plena periculi. Virg. Aen. 8, 364. *Aude, hospes, contemnere opes*, ubi Servius erudite haec notat: *bene aude, quasi rem arduam et difficilem.* v. Duker. ad Flor. 1, 17. p. 152.

Nimium nimiumque] Efficax est haec vocum repetitio. Tibull. 3, 6, 21. *Jam venit iratus nimium nimiumque severis.* Ennius ap. Cic. de Sen. 4. *Ergo magisque magisque viri nunc gloria claret,* ubi v. Graev. *Magis magis* sine copula est ap. Virg. Geo. 4, 311. *Miscentur, tenuemque magis magis*

aera carpunt. Id. Aen. 3, 456. *iterumque iterumque monebo.* Ov. Ep. 2, 129. *minus et minus utilis adsto.* Similiter dicitur *jam jamque*, *longe longeque*, *diu diuque*, *carior cariorque* et cetera. v. intpp. ad h. l. inprimis Bentl. ad Hor. Serm. 1, 6, 18. Oudend. ad Apul. Met. 2. p. 170.

V. 42. *Tangere castra*] Est pervenire in castra. Cic. Verr. 1, 10. *Simulac tetigit provinciam.* pro quo Suet. Vesp. 4. dicit: *ut primum provinciam attigit.* Ov. Ep. 6, 1. *Littora Thessaliae reduci tetigisse carina.* v. Burm. ad h. l.

V. 44. *Bene cautus*] i. e. cautissimus; nam *bene* auget significationem, ut dicimus *bene numatus*, *bene potus*, *bene mane* etc.

V. 45. *Usque metu micuere sinus*] Constructio haec est: Sinus micuere metu, usque dum victor dictus es. *Micare* dicitur de motu tremulo, celeri et brevi lucis, et aliarum rerum; et hinc transfertur ad motum cordis, timore agitati, ut multis exemplis planum fecit Heins. ad h. l. Tibull. 1, 11, 13. *nec audissem corde micante tubam*, ubi v. Broukh. Hic *sinus* micare dicuntur, ut Ep. 5, 37. *Attoniti micuere sinus.* Est autem sinus pars vestium, quae pectus tegit.

V. 46. *Ismariis*] i. e. Thraciis. Ismarus enim urbs Thraciae Ciconum. v. Steph. Byz. in v. Inde apud poetas Ismarius pro Thracius. v. Ep. 15, 154. Amor. 2, 6, 7. *Equi* autem *Ismarii* sunt Rhesi, Thraciae regis, qui si ex Xantho Trojae fluvio bibissent, in fatis erat, Trojam capi non posse. v. Virg. Aen. 1, 469. et Serv.

Isse] *Ire equis* duplici ratione usurpatur; nam primum *eunt equis*, qui equis insident. Hor. 1. Serm. 6, 104. *curto licet ire mulo.* Liv. 1, 15. *quique cum eo equis ierant.* ubi v. Gronov. Deinde *equis eunt*, qui currui insident ab equis tracto; nam utriusque linguae scriptores saepe *equos*, *leones*, *tigres* vocant currum, cui haec animalia junguntur. Ov. 3. Ep. 4. ex Ponto 99. *geminabit honorem Filius, et junctis, ut prius, ibit equis.* Ep. 2, 80. *Inque capistratis tigribus alta sedet.* v. quae notavimus ad Callim. H. in Cer. 87. Ita *ex equis* pugnare pro e curru pugnare passim occurrit.

V. 47. *Disjecta*] *Disjicere* est sic evertere et destruere, ut in diversas partes tanquam jactum frangatur. Metam. 12, 108. *vel cum Lyrnesia primus Moenia disjeci.* ubi v. Heins. Val. Max. 1, 5, 1. *urbe a Gallis disjecta.* Plura exempla congessit Drakenb. ad Sil. Ital. 9, 538.

V. 48. *Ilios*] Graeca forma et fem. genere dicitur pro *Ilium*. v. Heins. ad h. l. et Bentl. ad Hor. 3. carm. 3, 23.

Et, murus quod fuit ante, solum] h. e. quid mihi prodest, murum nunc esse conversum in solum, quod arari possit. MSSti quidam legunt: *qui fuit ante*, quae vera lectio est, sed mutata a librariis, qui nescirent, pronomen relativum saepe convenire cum sequenti. Cic. p. Sext. 42. *tum domicilia conjuncta, quas urbes dicimus.* de amic. 14. *benevolentia, qui est amicitiae fons a natura constitutus.* Sall. Catil. 55. *Est locus in carcere, quod Tullianum vocatur.* v. Voss. de constr. 55. et Intpp. ad Liv. 32, 30. Optime in Mss. ap. Heusing. hic versus sic legitur: *Et, murus qui fuit, esse solum.*

V. 49. *Troja durante*] h. e. stante, superstite.

V. 50. *Virque-abes*] Dicitur pro *tu vir abes*, sed pronomina primae et secundae personae *ego*, *nos*, *tu*, *vos* eleganter omitti solent. Mox v. 57. *victor abes.* Ep. 2, 1. *Hospita Demophoon tua te-abesse queror.* Virg. 1, 595. *Coram, quem quaeritis, adsum.* Liv. 2, 12. *hostis hostem occidere volui.* v. Gronov. et Drakenb. ad Liv. 32, 21.

Demto fine] h. e. sine fine. Trist. 3, 11, 2. *Meque reum demto fine cruentus agas.*

V. 51. *Aliis*] Sensus est: Utilitas ex Troja diruta pervenit ad alias uxores, quae maritos ad se receperunt, non ad me, cujus maritus, etiam post Trojam eversam, abest. *Aliis* est dativus commodi; *mihi* dativus damni, ut Grammatici loquuntur.

Restant] i. e. supersunt. Hoc hemistichion repetitur Metam. 13, 507.

V. 52. *Incola victor*] Heins. legere mallet *accola;* quam conjecturam non sequimur, nam *incola* etiam dicitur, qui agros incolit. Lucan. 9, 976. *Phryx incola manes Hectoreos calcare vetat.*

V. 53. *Jam seges est*] Simili figura Propert. 4, 10, 30. *in vestris ossibus arva metunt.*

V. 54. *Luxuriat*] *Luxuriare* proprium rei rusticae scriptoribus verbum de herbis aut arboribus nimium se effundentibus. Cic. de Orat. 2, 23. *in qua oratione, ut in herbis rustici solent dicere, in summa ubertate inest luxuries quaedam, quae stilo depascenda est.* Ov. de Nuc. 20. *Coepimus in patulas luxuriare comas.* Colum. R. R. 4, 21. *Luxuriosa vitis, nisi fructu compescitur, male deflorescit.*

Sanguine pinguis humus] Saepe poetae in magna hominum caede describenda dicunt, *terram sanguine foecundari, pinguescere, fruges sanguine nutriri.* Virg. Geo. 1, 491 *bis sanguine nostro Emathiam et latos Haemi pinguescere campos.* Petron. c. 120. *Extulit in lucem nutritas sanguine fruges.* ubi v. intppr.

V. 56. *Ruinosas domos*] i. e. ruinam minitantes; una voce *parietinas* vocant. Ipsa etiam herba, quae in his aedium reliquiis nasci solet, *parietina* dicitur.

V. 58. *In quo orbe*] i. e. in qua orbis parte, ut Metam. 12, 39. *orbe medio* pro media orbis parte.

Ferreus] h. e. durus, inexorabilis, ut Ep. 3, 138. et passim alibi.

V. 59. *Quisquis ad haec vertit peregrinam litora puppim*] Hoc intelligendum est ex veterum more, qui puppim terrae et proram mari obvertebant, ut navis itineri paratior esset. Virg. Aen. 6, 3. *Obvertunt pelago proras et littora curvae Praetexunt puppes.* Rem pulcre explicat Gronov. Obs. 4, 26. p. 401. Adjectivum *peregrinus* etsi jungitur cum *puppim*, tamen sensu referendum est ad *quisquis*, de qua poetarum consuetudine diximus ad v. 10.

V. 60. *Mihi rogatus*] i. e. a me rogatus, ut Ep. 14. *de facta non sibi caede* pro de caede non facta a se. v. Perizon. ad Sanct. Min. 3, 4. p. 397.

V. 62. *Digitis charta notata meis*] i. e. epistola scripta manu mea. *Notare* est scribere. Metam. 9, 522. *damnatque tabellas, Et notat et delet.* Ep. 4. ex Ponto 3, 26. *Venisset verbis charta notata tribus.*

V. 63. *Antiqui Nestoris*] Non est senis, sed ejus, qui praeteritis seculis vixit, quam notionem exemplis illustrat Burm. ad Val. Flacc. 8, 8. et Ovid. Trist. 3, 12, 2. Tibull. 1, 1, 36. *Quos tulit antiquo condita messis avo.* *Antiquus* pro senex, cadente demum Latinitate usurpari coepit. Hae vocabuli notiones in optimis etiam lexicis confunduntur.

Neleïa arva] Vocat Nestoris regnum, quod Neleus, Nestoris pater, Pyli in Peloponneso condiderat, unde *Nelea Pylos* dicitur Metam. 6, 418. et ipse Nestor *Pylius.* v. Pausan. 4, 2. et Schol. ad Hom. Catal. nav. 98.

V. 64. *Misimus*] *Mittere* absolute dicitur pro legatos, nuncios, literas mittere. Cic. ad Div. 11, 16. *mitte ad Lupum nostrum, ut is conficiat.* ad Att. 2, 2. *nam ita ad me mittunt, Nigidium minari in concione.* v. Gronov. ad Liv. 8, 22. et quos laudat Oudend. ad Caes. B. G. 1, 34.

V. 66. *Quas habitas terras*] Familiare poetis est *habitare* cum accusativo. Virg. Ecl. 2, 29. *Atque humiles habitare casas*, ubi erudita est Servii annotatio. Praeterea *habitas* et *abes* dicitur pro *habites* et *absis.* Centies et prosae et ligatae orationis scriptores indicativum ponunt, ubi ex Grammaticorum regulis subjunctivus ponendus esset. Cic. de N. D. 2, 6. *Animum denique illum spirabilem si quis quaerat, unde habemus.* de Fin. 1, 7. *Et quod quaeritur saepe, cur tam multi sunt Epicurei.* Plin. Ep. 2, 10. *quandoque, ut errones, aliquem, cuius dicuntur, invenient.* ubi v. Cort. Adde intpp. ad Lucan. 1, 126. Ceterum hic locus male interpungitur; nam punctum post *veri* tollendum, ut omnia jungantur hoc sensu: Sparta quoque nescit, in qua regione habites aut ubi tam diu absis.

V. 67. *Moenia Phoebi*] i. e. Trojam. Notum est ex mythologis, Apollinem et Neptunum Laomedonti in condenda Troja operam locasse: imo ut moenia Thebarum Amphionis, sic Trojae Apollinis cantu structa

dicuntur. Ep. 16, 179. *Ilion adspicies, firmataque turribus altis Moenia, Phoebeae structa canore lyrae.*

V. 68. *Levis*] h. e. vana, mutabilis.

V. 72. *Area lata*] *Area* proprie est locus vacuus, latus et coaequatus, sed metaphorice a poetis dicitur de quacumque re, quae magnam facultatem alicujus rei praestat, ut ap. Cic. *campus.* Amor. 3, 1, 26. *Haec, animo, dices, area digna mea est.* Trist. 4, 3, 84. *En, patet in laudes area lata tuas.*

V. 75. *Quae vestra libido est*] Eleganter pro libidine, quae sexui vestro propria est. Serv. Sulp. Ciceroni ad Div. 4, 5. *quod si quis etiam inferis sensus est, qui illius in te amor fuit, pietasque in omnes suos, hoc certe illa te facere non vult.* ubi v. Manut. Cic. ad Div. 7, 2. *quod si mihi permisisses, qui meus amor in te est, confecissem cum cohaeredibus.* Horat. 1. Serm. 9, 54. *Velis tantummodo: quae tua virtus, Expugnabis.* Elliptica formula est, quam bene expedivit Perizon. ad Sanct. Min. 2, 9. p. 209. Adde Burmann. ad h. l.

V. 76. *Captus amore*] Locutio ducta est a re venatica, ut erudite observat Donat. ad Ter. Andr. 1, 1, 55. Ep. 15, 63. *captus meretricis amore*, ubi v. intpp. Multae autem locutiones a venatione ad amorem transferuntur. Ov. Art. Am. 2, 2. *Decidit in casses praeda petita meos.* Id. ibid. 1, 253. *Quid tibi foemineos coetus venatibus aptos Enumerem?* Apud Phaedr. 3, 4, 4. puella venustissime dicitur *oculis venari virum.* ubi v. intpp.

V. 76. *Peregrino amore*] i. e. amore peregrinae mulieris. v. notata ad v. 10. Incidit vero Ulysses, ut uxor ejus veretur, in amorem Calypsus, Circes aliarumque mulierum peregrinarum.

V. 77. *Forsitan et narres*] *Forsitan* et *forsan* saepe cum subjunctivo construuntur. Ep. 4, 53. *Forsitan hunc generis fato reddamus amorem.* ubi v. Heins. Ter. Phorm. 4, 5, 5. *Forsitan nos rejiciat.* Liv. 5, 52. *Forsitan aliquis dicat,* ubi v. Drakenb. Ratio constructionis est, quod illa adverbia contracta sunt ex *fors sit an.* Eodem modo *scilicet* et *videlicet* cum infinitivo junguntur ex inclusa potestate; nam contracta sunt ex *scire licet*, *videre licet.* Hanc rationem egregie explicuit summus Gronov. Obs. 3, 9.

Rustica conjux] *Rustica* est ab elegantioris vitae cultu aliena, non curans delicias urbanas. Sic *rustica puella* saepe ap. Ovid. dicitur, quae ab amoribus et voluptatibus abhorret. Ep. 17, 13. *Rustica sim sane, dum non oblita pudoris.* Rem. Am. 329. *Et poterit dici petulans, quae rustica non est, Et poterit dici rustica, si qua proba est.*

V. 78. *Lanam rudem*] i. e. infectam, non carminatam, quam *solocem* vocabant. v. Fest. h. v. et Heins. ad Ov. Fast. 4, 659. Proprietatem vocis *rudis* explicuimus ad Mall. Theod. de metr. p. 53.

V. 79. *Fallar*] i. e. utinam fallar.

Crimen vanescat in auras] Poetae si quid falsum et irritum esse significant, illud *in auras vanescere*, *ventos* sive *auras* illud *ferre* dicere solent. Ov. Am. 2, 14, 41. *Ista sed aethereas vanescant dicta per auras.* Catull. 63, 142. *Quae cuncta aërei discerpant irrita venti.* Virg. Aen. 9, 313. *Multa patri portanda dabat mandata, sed aurae Omnia discerpunt et nubibus irrita donant.* ubi v. La Cerda.

V. 80. *Revertendi liber*] i. e. cum reverti possis, quando velis. *Liber*, ut multa alia adjectiva, Graeco more cum genitivo struitur. Horat. A. P. 211. *liberque laborum Rusticus.* Sil. Ital. 2, 44. *It liber campi pastor.* v. intpp. ad h. l. et Oudend. ad Apul. 10. p. 107.

Abesse velis] Multo blandius est, quam si dixisset *absis.* Metam. 2, 745. *Tu tantum fida sorori Esse velis.* v. intpp. ad Phaedr. 1, 29, 6.

V. 81. *Viduo discedere lecto*] i. e. tanquam viduam nubere alteri.

V. 84. V. Burm. ad Anthol. T. 1. p. 134.

V. 86. *Frangitur*] *Flectitur* precibus, qui facile exoratur; *frangitur* precibus, qui difficilius et adhibita quasi vi. Tibull. 1, 9, 71. *Desistas lacrymare, puer; non frangitur illa.* ubi hoc discrimen explicat Broukh.

Ov. Met. 8, 508. *Nunc animum pietas maternaque nomina frangunt.* Adde Burm. ad h. l.

Vires temperat ipse suas] Male pronomen *ipse* a viris doctis tentatur. Similiter Cic. ad Div. 4, 6. *cum frangerem jam ipse me.* *Temperare vires* dicitur, qui non facit omnia, quae facere potest, qui modum ponit viribus suis. Propert. 3, 21, 22 *victrices temperat ira manus.* ubi v. Broukh.

V. 87. *Quos tulit*] h. e. quos protulit, quorum patria est. Virg. Geo. 1, 185. *Quae plurima terrae Monstra ferunt.* Lucan. 4, 814. *Haud alium tanta civem tulit indole Roma.*

Alta Zacynthos] *Alta* dicitur, quod montibus effertur. Sil. Ital. 1, 275. *Conditus ex celso sacravit colle Zacynthos.* v. intpp. ad h. l.

V. 89. *Regnant*] h. e. impotenter et ex animi libidine omnia agunt. Saepe ita *regnum* et *regnare* dicitur. v. Duker. ad Flor. 3, 13. p. 554.

V. 90. *Viscera nostra*] Veteres *viscera, nervos, sanguinem, vires* metaphorice patrimonium appellare, egregie docuit summus Gronov. Obs. 4, 24. Quo melius convenit verbum *dilaniare* vel *dilacerare.*

V. 91. *quid*] i. e. cur.

V. 93. *Turpiter*] Potius cum *alis* quam cum *absens* jungendum videtur.

V. 95. *Pecoris actor edendi*] *Pecus edendum* est pecus, quod est esui. Intelligit capras, quarum pastor erat Melanthius, qui ab Homero vocatur *αἰπόλος αἰγῶν.* *Actor* est, qui pecus agit, nam pastor proprie dicitur *agere pecus.* Virg. Ecl. 1, 12. *ipse capellas Protinus aeger ago.* v. Heins. ad h. l.

V. 96. *Pudor*] h. e. homines pudendi, ut *scelus*, homo scelestus, et sexcenta talia.

V. 97. *Tres sumus numero*] Eleganter *numero* abundat. Caes. B. G. 2, 14. *oppida habere numero duodecim.* Sall. Iug. 93. *numero quinque quam velocissimos delegit.* ubi v. Cort. Ov. Art. Am. 3, 355. *Et modo tres jactet numero.* ubi plura exempla collegit Burm.

V. 101. *Euntibus ordine fatis*] *Fata ordine ire* dicuntur, si major natu moriatur ante minorem. Aus. Epitaph. 37. *Veniant ordine quisque suo, Nascendi qui lege datus; placidumque per aevum Condatur, natu qui prior, ille prior.* Itaque sollemne piorum parentum votum est, ut liberi sibi sint superstites. Ap. Ter. Heaut. 5, 4, 7. mater ad filium: *ita mihi atque huic sis superstes, ut ex me atque ex hoc natus es.* Contra, si parentes ante liberos decederent, *turbatus mortalitatis ordo* dicitur a Papiniano L. 15. D. de inoff. testam., *inversus mortalitatis ordo* ap. Reines. cl. 5. inscr. 35. Has formulas praeclare illustrarunt Heins. ad h. l. et Markl. ad Stat. Sylv. 5, 1, 181.

V. 102. *Oculos comprimat*] Oculos morientium claudere solebant sanguine proximi, qui ritus illustratus est a Kirchmanno de Funer. 1, 6. Albinov. ad Liv. 160. *Atque utinam Drusi manus altera et altera fratris Formarent oculos comprimerentque meos.* *Condere lumina* dixit infra v. 113; *premere fugientis ocellos* Amor. 3, 9, 49.

V. 103. *Hoc faciunt*] i. e. hoc precantur; nam *facere* saepe significat illum actum, quem praecedentia verba exprimunt. Ep. 11, 31. *Nec cur hoc facerem* i. e. nec cur gemitum ederem. v. Burm. ad h. l. et ad Suet. Ner. 46.

V. 104. *Cura harae*] h. e. curator. Sic Metam. 2, 178. *O facunde senex, aevi prudentia nostri* h. e. prudentissime aevi nostri. Hor. 4. Carm. 14, 43. *o tutela praesens Italiae* i. e. tutor. Sic *consilium* pro consiliario, *principium* pro principe. Hanc loquendi rationem pluribus exemplis illustrat Drakenb. ad Sil. Ital. 15, 748.

V. 108. *Nunc erat*] Eleganti enallage dicitur *erat* pro *esset.* Ep. 19, 130. *Nullus erat ventis impediendus amor.* v. Burm. ad h. l. *Nunc* saepe cum praeterito jungitur. Cic. ad Att. 3, 16. *Brutus erat in Neside etiamnunc.* Hor. 1. Carm. 37, 2. *Nunc Saliaribus Ornare pulvinar Deorum Tempus erat dapibus.*

V. 109. *Nec mihi sunt vires — pellere*] Graeco more dicitur pro ad pellendum vel pellendi. Nepos Lys. 3. *iniit consilia reges tollere.* Petron. 34. *fecerat potestatem mulsum sumere.* Et sic alia substantiva, quae voluntatem

vel facultatem significant, cum infinitivo construuntur. v. Voss. de constr. 51. Markland. ad Stat. Sylv. 1, 4, 61. et Drakenb. ad Liv. 3, 4.

V. 110. *Portus et ara tuis*] Sic egregie hunc locum restituerunt Ciofanus et Heinsius. Ineptum est, quod vulgares editiones habent, et Burm. defendit, *portus* et *aura tuis. Portus* vero *et ara* duplici metaphora dicitur de praesidio, perfugio; altera unde ducta sit, per se patet; altera petita est vel a servis, qui, cum graviter deliquissent, poenae vitandae causa ad aram confugiebant, vel a supplicibus, qui, in ara sedentes, auxilium Deorum implorabant. Ovid. Ep. ex Ponto 2, 8, 68. *Vos eritis nostrae portus et ara fugae.* Cic. Verr. 5, 48. *hic locus est unus, quo perfugiant, hic portus, haec arx, haec ara sociorum.* v. Graev. ad Flor. 3, 20. p. 603.

V. 111. *Est tibi, sitque, precor*] Frequens et elegans bene precantium formula. Albinov. ad Liv. 471. *Est tibi, sitque, precor multorum filius instar.* Ov. Fast. 6, 219. *Est mihi, sitque, precor nostris diuturnior annis Filia.* Similiter Liv. 40, 11. *unus ante me pater est, et, ut diu sit, Deos rogo.* Graeci dicunt ἔστι τε καὶ εἴη. v. H. Vales. Emend. 3, 13.

Mollibus annis] h. e. aetate puerili, quae facile flectitur ad bonas artes. Ov. Art. Am. 1, 10. *Sed puer est, aetas mollis et apta regi.* ubi v. Burm. Similiter *teneri anni* Ep. 4, 25.

V. 112. *In patrias artes erudiendus erat*] Similiter loquitur Gellius 13, 16. *quod Graeci Παιδείαν vocant, nos eruditionem institutionemque in bonas artes dicimus.* Cicero dixit *ad artes erudire*, ut Verr. 3, 69. *eos instituere atque erudire ad majorum instituta.*

V. 113. *Respice Laertem*] h. e. rationem habeto Laertae. Ep. 3, 137. *Respice sollicitam Briseida.*

Sua lumina] dicitur pro *ejus* lumina. Hic reciproci usus observandus, non imitandus; de quo v. Sanct. Min. 2, 11. ibique Perizon. et quos laudat Drakenb. ad Sil. Ital. 12, 33.

V. 114. *Extremum fati sustinet ille diem*] h. e. mortem differt, ut tu reversus ejus oculos claudas. *Sustinere* saepe dicitur pro differre, protrahere, remorari. Clav. Cic. h. v. Albinov. ad Liv. 372. *Illa rapit juvenes, sustinet illa senes.* Liv. 3, 65. *plebem sustinendo rem ab seditionibus continuere.* ubi v. Drakenb. Phaedr. 3, 2, 6. *Misere panem, ut sustineret spiritum.* Adde Burm. ad h. l. et ad Val. Flacc. 3, 100.

V. 115. *Puella*] Ex opposito *anus* vera notio vocis *puella* apparet; nam ita dicitur femina juvenis, quamvis nupta et liberorum mater, ut hic Penelope. Ep. 4, 2. *Cressa puella* est Phaedra, uxor Thesei. Fast. 2, 451. *gravidis facilis Lucina puellis.* Similiter *virgo* dicitur de muliere nupta. v. Virg. Ecl. 6, 47. et ibi Servius; et *puer* de eo, qui est pater. v. intpp. ad Rutil. 1, 173.

V. 116. *Protinus ut redeat*] *Ut* est concedentis, et significat quamvis, licet. Metam. 6, 196. *Multaque ut eripiat, multo mihi plura relinquet.* Liv. 22, 25. *ut vera omnia essent, secunda se magis, quam adversa timere.* ubi v. Drakenb.

Epist. II.

V. 1. *Rhodopeia*] h. e. Thracia, a Thraciae monte Rhodope. De Demophoonte et Phyllide v. Hygin. fab. 59. et Meziriac. ad h. l.

V. 3. *Cornua cum lunae* etc.] Elegans periphrasis quatuor mensium exactorum. Metam. 2, 344. *Luna quater junctis implerat cornibus orbem.* Senec. Med. 97. *Quum Phoebe solidum lumine non suo Orbem circuitis cornibus alligat.* ubi v. Gronov.

V. 4. *Littoribus nostris anchora pacta tua est*] h. e. pactus es, promisisti te navem littori nostro appulsurum. *Pacta* passive ponitur, ut ap. Phaedr. 1, 8, 10. *pactum praemium.* ubi adeundus Marqu. Gudius. Multa vero deponentia, praesertim eorum participia, passive usurpantur. Cujus rei causa est, quod talium deponentium forma activa aliquando in usu fuit. v. Voss. de Anal. 2. Vechner. Hellenol. p. 104 et ibi Heusing.

V. 6. *Sithonis unda*] Est mare Thracium. *Sithonis* est forma patronymica a *Sithon*, qui fuit rex Thraciae, a quo etiam Thracia *Sithon* dicta est. v. Steph. Byz. v. *Παλλήνη* et intpp. ad Virg Ecl. 10, 66.

Actaeas rates] i. e. Atticas: nam Attica appellata est olim *Acte*, *Actica* et *Actaea*, quod maxima ejus pars littoralis erat. *ἀκτὴ* significat littus. v. Strab. 9. p. 599 et Serv. ad Virg. Ecl. 2, 24.

V. 9. *Spes lenta*] Duplici ratione intelligi potest, vel de ea, quae longa mora extrahitur, vel de segni, et tarde inchoata. Priore sensu hic capiendum docet Bentl. ad Hor. A. P. 172.

V. 12. *Vela* perpetuo epitheto *alba*, *candida* dicuntur. v. Fast. 5, 162; nec necesse est, cum Burmanno, pro faustis capere.

V. 13. *Devovi*] h. e. diras et quaevis mala Theseo imprecata sum. Sic *devovere* centies dicitur ap. Ovid. et alios.

Quia-nollet] Observetis, *quia* cum subjunctivo structum, quod latine doctissimo Graevio ad Cic. de Amic. 4. a Latinorum consuetudine alienum videbatur; sed multis exemplis hanc constructionem vindicavit Drakenb. ad Liv. 2, 8. Recte igitur Heins codd. secutus Ep. 9, 27. edidit: *At bene nupta feror, quia nominer Herculis uxor.* ubi vulgo edebatur *nominor.*

V. 14. *Tenuit*] i. e. retinuit, continuit: simplex pro composito. Ep. 5, 49. *cum te vento quererere teneri.* Ep. 18, 213. *Me pariter venti teneant pariterque lacerti.* v. interpp. ad Liv. 32, 9.

Cursus] i. e. iter maritimum. Nepos Milt. 1. *cursum direxit, quo tendebat;* ubi v. Gebhard. Justin. 31, 2. *navem conscendit cursumque ad Antiochum dirigit.* Sic poetis familiare est *currere* pro navigare. Hor. Ep. 1, 1, 45. *Impiger extremos curris mercator ad Indos.* Val. Flacc. 4, 336. *cumque hac freta curre corona.* Immo navim *currum* dixit Catull. 63, 9. v. Gevart. 3, 5. Lect. Papin. ad Stat. Sylv.

V. 15. *Ad vada Hebri*] h. e. ad Hebrum, flumen Thraciae, in qua regione Phyllis habitabat.

V. 17. *Pro te-rogavi*] Casp. Scioppius in Infamia Famiani p. 86. locutionem *rogare pro aliquo* rejicit tanquam minus Latinam. Sed multis optimorum scriptorum exemplis refellitur. Cic. p. red. ad Quir. 7. *pro mea vos salute non rogavit solum, verum etiam obsecravit.* Phaedr. 3, 2, 16. *Damnum haud recusant, tantum pro vita rogant.* ubi v. intpp. Lactant. de M. P. 17. *ut per omnes Deos pro vita ejus rogaretur.* ubi v. Graev. Constructio vero hujus loci haec est: saepe supplex Deos cum prece rogavi pro te devenerata, sc. deos, turicremis focis.

V. 18. *Turicremis focis*] h. e. aris, in quibus tus crematur. Ov. A. Am. 3, 393. *Visite turicremas vaccae Memphitidos aras.* Virg. Aen. 4, 433. *turicremis cum dona imponeret aris.* v. Burm. ad h. l. et Oudend. ad Lucan. 9, 989. Ceterum Burmannus putat ad Suet. Tib. 71, Ovidium, cum mythicis temporibus ture et mero sacrificatum esse dicit, vel immemorem fuisse veteris instituti vel sibi indulsisse. Sed ipse errat, non Ovidius. Nam infinita sunt veterum loca, quibus pateat, heroicis etiam temporibus tus et vinum in sacrificiis adhibitum esse. v. Graev. Lect. Hesiod. c. 8. p. 37.

Devenerata] h. e. valde venerata; nam *de* in compositione significationem auget. Sic *deprecari* dicitur pro valde precari.

V. 20. *Ipsa mihi dixi*] Eleganter pro *ipsi mihi* dixi. Nam optimi quique Latinitatis auctores pronomen *ipse* aliis pronominibus appositum plerumque in alio casu et fere nominativo ponere solent. Qua de re praeclara est observatio Dukeri ad Flor. 3, 18. p. 583. Nepos Paus. 3. *exspectandum, dum se ipsa res aperiret.* Cic. ad Div. 1, 1. *mihi ipse numquam satisfacio.* Liv. 2, 19. *suismet ipsi corporibus dimicantes.* ubi v. interpp.

V. 22. *Ad causas ingeniosa fui*] i. e. solers fui ad causas fingendas. *Ingeniosus* etiam construitur cum praepos. *in*, ut Trist. 2, 342. *Inque meas poenas ingeniosus eram*, et cum dativo, ut Am. 1, 11, 4. *et dandis ingeniosa notis.*

V. 23. *Jurata Numina*] i. e. Dii, per quos jurasti. Prosae orationis scriptores dicunt *jurare per Deum*, nisi quod ap. Cic. ad Div. 7, 12. occurrit *Jovem lapidem jurare;* sed poetae dicunt *jurare Deum.* Catull. 67, 40.

Adjuro teque tuumque caput. Tibull. 4, 13, 15. *Haec tibi sancta tuae Junonis numina juro.* ubi v. Broukhus. Ov. Met. 2, 41. *Dis juranda palus.*

V. 24. *Motus*] h. e. permotus. Trist. 2, 340. *Et falso movi pectus amore meum.* v. Drakenb. ad Liv. 6, 36.

V. 25. *Ventis — verba*] *Ventis verba dare* proverbiali locutione dicitur, qui obliviscitur promissorum, fidem quam dedit, fallit; *ventis vela dare* vel simpliciter *vela dare* dicitur, qui navigat. A. Am. 1, 51. *Non ego quaerentem vento dare vela jubebo.* Nep. Hannib. 8. *cum solvissent naves ac vela ventis dedissent.* Simillimus autem huic loco est Met. 8, 134. *an inania venti Verba ferunt; idemque tuas, ingrate, carinas?*

V. 27. *Nisi*] Eleganter ponitur pro *praeterquam*, inprimis post pronomen *quid*, ut h. l. Cic. Tusc. 1, 31. *Quid tum agimus, nisi animum ad se ipsum advocamus?* Liv. 2, 38. *Quid eos existimasse putatis, nisi aliquod profecto nefas esse.* v. Burm. ad h. l.

V. 28. *Demeruisse*] *Demerere aliquem* significat, aliquem sibi tanquam merito devincire, gratiam ab aliquo inire. Suet. Oth. 4. *alium alia via militem demerebatur.* Vesp. 2. *Caium ne quo non genere demereretur.*

V. 29. *Recepi*] h. e. hospitio excepi. Caes. B. C. 2, 20. *ut domum ad se quisque hospitio cupidissime reciperet. Accipere* eodem sensu frequens est ap. Terentium, Ciceronem, alios.

V. 30. *Sed scelus hoc meriti*] i. e. hoc scelus tibi debet esse meritum magni momenti, et instar singularis beneficii. *Instar meriti habere*, ut Cic. de Off. 3, 3. *omnia ex altera parte collata vix minimi momenti instar habent.* Ep. 16, 366. *Unus is innumeri militis instar habet.* ubi v. Heins.

V. 31. *Ubi nunc?*] Solemnis formula exprobrantium. Ep. 6, 41. *Heu ubi pacta fides, ubi connubialia jura?* Vim exemplorum collegit Heins. ad Ep. 4, 150.

Commissa] h. e. juncta, connexa. Hirt. B. Al. 30. *castellum, quod cum opere castrorum commiserat.* Frontin. 3, 13, 6. *ut res duabus regulis inter se distantibus commiserat.* Hinc *commissura* lapidum in aedificiis est *junctura.* v. Ep. 11, 21. Drakenb. ad Liv. 38, 7.

V. 32. *In ore*] *In ore esse* dicitur, qui crebro memoratur. Met. 11, 563. *sed plurima nantis in ore Halcyone conjux.* Similiter dicitur *in ore habere.* Cic. ad Div. 5, 16. *consolatio, quam semper in ore atque animo habere debemus.*

V. 33. *Socios in annos*] h. e. in perpetuum conjugium. Sic *socius torus* vel *lectus* frequenter ap. Ovid., ut A. Am. 1, 566. 2, 377. v. Heins. ad Amor. 1, 9, 6. *Hymen* vel *Hymenaeus*, nuptiarum praeses, hic ponitur pro ipsis nuptiis.

V. 36. *Per quod saepe ieras*] *Ire* est navigare. Val. Flacc. 1, 271. *Ire per altum Magna mente volunt.* v. Heins. ad Rem. Am. 488. Sic *iter* saepe dicitur de navigatione.

V. 38. *Avum*] *Avus* est Neptunus, qui una nocte cum Aegeo cognovit Aethram; ex Aethra natus est Theseus, Demophoontis pater, qui ideo ab aliis Neptuni, ab aliis Aegei filius habetur. v. Apollodor. 3, 7. et Hygin. fab. 37.

V. 39. *Nimiumque mihi facientia tela*] h. e. nimis mihi convenientia, ut ostendat, se proclivem esse ad amorem. Ep. 6, 128. *Medeae faciunt ad scelus omne manus*, ubi constructio diversa est, sensus idem. Ep. 15, 8. *Non facit ad lacrymas barbitos ulla meas.* Heinsius *facere* explicat facessere, molestiam exhibere. Minus bene.

V. 41. *Toris maritis*] h. e. nuptiis, conjugio. Ep. 12, 87. *Conscia sit Iuno sacris praefecta maritis.* Propert. 3, 19, 16. *Pollueritque novo sacra marita toro.* ubi Broukh. recte observat, poetas luxuriari in usu vocis *maritus*, quae proprie adjectivum est; nam in *maritus* et *marita* subintelligitur *vir* et *uxor.* Sanct. Min. 4, 4. p. 652. Optime hanc rationem explicuit Heins. ad Ep. 14, 19. et ad Claud. B. Gild. 407.

Toris quae praesidet] Nuptiis praesidebat Juno, quae eam ob rem colebatur sub nomine Pronubae, Zygiae, Cinxiae, Domiducae. v. Ep. 6, 43. Fest. v. Jugarius et v. Cinxiae.

V. 42. *Taediferae Deae*] i. e. Cereris, quod raptam filiam Proserpinam accensis taedis quaesivit, unde etiam Graece dicitur *δᾳδοφόρος* et *δᾳδοῦχος*. *Mystica sacra*] i. e. Cereris sacra arcana, per quae Demophoon, ut Atheniensis, jurabat. v. Meursii librum singularem, quem Eleusinia inscripsit.

V. 44. *In poenas non satis unus eris*] h. e. unus tot poenas perferre non poteris. *Satis* etiam struitur cum praepos. *ad*, ut Metam. 6, 642. *satis illi ad fata vel unum Vulnus erat.* et cum dat., uti ap. Sen. Med. 1008. *unus est poenae satis.* v. Broukh. ad Propert. 2, 22, 33.

V. 47. *Remigium*] h. e. remiges. Liv. 26, 51. *remigium classicique milites tranquillo in altum evecti.* ubi v. Gronov. Ita supra habuimus Ep. 1, 304. *cara harae* pro curatore, ubi v. notata.

V. 50. *Credidimus generi nominibusque tuis*] h. e. fidem tibi habuimus propter generis et majorum nobilitatem. *Genus* et *nomen* centies jungunt veteres. Cic. Phil. 3, 4. *Brutus princeps generis et nominis.* Suet. Vesp. 4. *ob humilitatem generis et nominis.* v. Heins. ad h. l. et ad Virg. Geo. 3, 122.

V. 52. *Quaque jubentur*] Subintellige *parte* aut *via*, de qua ellipsi v. Sanct. Min. 4, 4. p. 626.

Eunt] *Ire* eo modo de lacrymis manantibus dicitur, quo de rivis dici docuimus ad Ep. 1, 33. Ep. 8, 63. *Perque sinum lacrymae fluminis instar eunt.* Similiter sanguis *ire* dicitur Ep. 3, 146 et 13, 80.

V. 53. *Quo jam tot pignora nobis?*] Venusta loquendi ratio, quam exemplis illustrarunt Gronov. Obs. 4, 21. et Heins. ad h. l. Significat autem haec formula, cui bono? quid prodest? Ep. 4, 157. *Quo mihi, quod genitor, qui possidet aequora, Minos?* A. Am. 1, 303. *Quo tibi, Pasiphaë, pretiosas sumere vestes?* Hor. 1. Ep. 5, 12. *Quo mihi fortunam, si non conceditur uti?* ubi v. Ill. Bentl. Vox *quo* in hac formula vel cum accus. vel cum infinitivo construitur. Subintelligendum vero verbum *paravi* vel aliud contexto congruens. v. Sanct. Min. 4, 5. p. 663. et ibi Perizon.

V. 54. *Parte-qualibet inde*] h. e. parte qualibet eorum pignorum; nam *inde*, *unde*, *hinc* millies ponuntur pro ex illis, ex quibus, ex his personis vel rebus. vid. Serv. ad Virg. Aen. 1, 6. Bentl. ad Hor. 1. Carm. 12, 19. et Drakenb. ad Sil. Ital. 1, 283.

V. 56. *Hoc meriti summa*] Aliae edd. legunt: *haec meriti summa.* Utrumque recte. v. Heusing. Ep. 3, 7. *quamvis hoc quoque culpa tua est.* Ep. 9, 106. *Quod tu non esses jure, vir illa fuit.* Ter. Andr. 1, 5, 2. *quid est, si hoc non contumelia est*, ut bene e codd. pro *haec* edidit Bentl. Justin. 18, 3. *id primum aliis videri furor.* Senec. de Benef. 2, 8. *non est illud liberalitas.* In qua constructione pronomen neutrum ad infinitam orationem refertur. v. quos laudat Drakenb. ad Liv. 2, 38.

V. 57. *Hospitium lecto cumulasse jugali*] h. e. praeter hospitium, quod praebui, etiam corporis copiam fecisse. Ut hic lectus jugalis, sic Ep. 4, 121. *taeda jugalis.* *Cumulus* proprie dicitur, quod in modio supra mensuram adjicitur. v. Fest. v. Auctarium. Inde *cumulus* et *cumulare* semper significat aliquam accessionem beneficii, gaudii, gloriae etc.

V. 58. *Lateri conseruisse latus*] Verecunda et elegans concubitus descriptio, qualis Ep. 19, 138. *Molle latus lateri composuisse tuo*, et ap. Lucil. Fragm. p. 42. *Tum compone latus lateri et cum pectore pectus.* v. Broukh. ad Tib. 1, 5, 8. Est autem *conserere* arcte conjungere, committere.

V. 61. *Me meruisse*] Observanda est repetitio syllabae *me*, in qua veteres elegantiam captarunt. Multa similia collegit Broukh. ad Tib. 1, 1, 3.

V. 64. *Simplicitas*] A veteribus in bonam partem dicitur de animo fraudis aut doli experte. Peculiariter illa tribuitur puellis, ut Ep. 12, 90. 16, 285.

V. 67. *Aegidas*] h. e. posteros Aegei, qui Thesei pater et Demophoontis avus fuit, ut supra monuimus.

Statuaris] *Statui* dicitur, cujus statua ponitur. Sil. It. 8, 231. *Ast ego te, compos pugnae, Carthaginis arce Marmoreis sistam templis*, ubi N. Heinsius idem verbum *statuam* reponi volebat, sed *sistam* eandem vim habet.

V. 69. *Scyron lectus*] scil. in inscriptione statuae, in qua Thesei res gestae referebantur. Scyron, Procrustes et Sinis latrones fuerunt, quos Theseus interfecit. De his omnibus v. Ovid. Met. 7, 404. sqq. 12, 227. Meurs. in Thes. et Meziriac. ad h. l.

V. 70. *Tauri mistaque forma viri*] h. e. Minotaurus, natus ex tauro et Pasiphaë, uxore Minois, regis Cretae.

V. 71. *Domitae bello Thebae*] De hac Thesei expeditione v. Apollod. 3, 7. et Meziriac. ad h. l.

Fusique bimembres] h. e. Centauri, qui a parte superiore homines, ab inferiore equi erant. v. Ov. Met. 12. l. c.

V. 72. *Pulsata nigri regia caeca Dei*] Pulsavit Theseus fores regiae nigri Dei, vel Plutonis, ut inde Proserpinam raperet amico suo Pirithoo. v. Plut. in Thes. p. 15. *Coeca regia* est tenebricosa, obscura, ut *nox coeca* Met. 10, 476.

V. 76. *Sedit in ingenio*] h. e. firmiter haesit memoriae tuae. Nam *sedere* et *insidere* dicuntur, quae animo penitus infiguntur. Cic. Tusc. 2, 4. *insidet in animo oratio.* Ov. Rem. Am. 268. *Longus et invito pectore sedit amor.* ubi v. Heins. Plin. Paneg. 55. *cujus amabilis vultus in omnium civium ore, oculis, animo sedet.* ubi plura exempla congessit Swarzius.

Cressa autem est Ariadne, quam Theseus reliquit. Ejus querelam explicat Ov. Ep. 10.

V. 77. *Quod solum excusat*] i. e. ob quod solum veniam petit. Stat. Sylv. 4, 6, 70. *magnoque ex agmine laudum Fertur Thebanos tantum excusasse triumphos.* ubi v. Markl.

Miraris] Exquisite dicitur pro aemularis, imitaris. Virg. Aen. 8, 517. *primis et te miretur ab annis*, ubi v. Serv. Martial. 1, 39. *Si quis erit recti custos, mirator honesti.* Sic ibi MSS.; nam quod editiones habent, *imitator honesti*, alterius lectionis glossema est. v. interpp. ad h. l.

V. 78. *Haeredem agis*] Locutio ex scena ducta, ubi *ago Davum*, *Simonem* significat, ejus personam gero. Unde etiam histriones *actores* vocabantur. Liv. 45, 25. *lenem mitemque Senatorem egit.* Vell. Pat. 2, 114. *agebat medium plurima dissimulantis, aliqua inhibentis.* Plin. Ep. 8, 16. *ut duces agere, dum sequuntur, adsuescerent.* v. Drak. ad Liv. Epit. 46. et Swarz. ad Plin. Paneg. 15.

V. 79. *Nec invideo*] Elegans parenthesis, ut Trist. 1, 1, 1. *Parve, nec invideo, sine me, liber, ibis in urbem.*

V. 80. *Inque capistratis tigribus*] h. l. explicuimus ad Ep. 1, 46. Valck. ad Eurip. Phoen. p. 515.

V. 83. *Doctas Athenas*] *Doctae* proprio epitheto dicuntur Athenae, quod eas, ut Justinus ait 2, 6. *literae ac facundia veluti templum habebant.* Propert. 3, 20, 1. *Magnum iter ad doctas proficisci cogor Athenas.* ubi v. Passerat.

Jam nunc] saepe hae particulae idem significantes junguntur. Liv. 31, 32. *deliberationis tempus jam nunc statui posse.* ubi plura exempla habet Drakenb.

V. 84. *Thracen*] A. Am. 2, 588. *Threcen* dicit Thraciam. Utraque forma poetis propria.

V. 85. *Exitus acta probat*] Hic locus aliquid obscuritatis traxit ab abrupto orationis genere. Graev. ad Cic. ad Div. 18, 11. Verba *exitus acta probat* sunt Thracis Phyllidi illudentis et dicentis, exitu ejus imprudentiam et stultam facilitatem patere, cui illa respondet optans, ut semper prospero successu careat, qui ex eventu, non ex consilio, facta culpanda putet. *Hoc tamen*, ut egregie dicit Cicero p. Rab. Post. 1. *plerumque facimus, ut consilia eventis ponderemus, et, cui bene quid processerit, multum illum providisse, cui secus, nihil sensisse dicamus.*

V. 86. *Ab eventu*] Haec Heins. et Burm. capiunt pro *post eventum*. Et sic centies usurpatur haec praepos. Liv. 23, 6. *ab hac oratione consulis, dimissis legatis.* ubi v. interpp. Sed melius est, capere pro *ob* vel

propter eventum. Liv. 4, 31. *exercitu ab re male gesta perculso.* Seneca de Clem. 1, 20. *a duabus causis punire princeps solet.* ubi v. Gronov. qui etiam adeundus ad Liv. 26, 49. Burm. ad Ep. 9, 129.

Notanda] *Notare* est reprehendere, arguere. Cic. p. Mil. 6. *crimen judicio reservavi, rem notavi.* Phil. 14, 8. *eos, qui re sunt hostes, verbis notari, sententiis nostris hostes judicari.* v. Gronov. ad Liv. 27, 25. Imprimis hoc verbum dicitur de censoria ignominia, ut substantivum *nota*.

V. 89. *Nec te mea regia tanget*] h. e. si Burmannum audiamus, nunquam in regiam meam redibis. Sed fallitur vir doctus. Nam si hoc dicere voluisset Ovidius, scribendum fuisset: tu non tanges regiam. Praestat igitur, cum MSS. legere *nec te mea regia tangit,* hoc sensu: non curabis regiam vel regnum meum. v. Ep. 5, 81. Cic. ad Att. 2, 19. *minae Clodii modice me tangunt.*

V. 90. *Fessave*] MSS. fluctuant inter *fessaque* et *fessave.* Burmannus fidenter pronuntiat, post negativum *nec* semper sequi debere non conjunctivas particulas *et*, *ac*, *que*, sed disjunctivas *aut*, *vel*, *ve.* Sed hujus sententiae ipsum poenituit ad Met. 3,492. Recte. Nam sexcenta loca sunt, ubi post *nec* sequuntur particulae conjunctivae, ut *non* repetendum sit ex praecedentibus. Virg. Geo. 2,220. *Nec scabie et salsa laedit robigine ferrum* h. e. *nec salsa.* Colum. R. R. 1, 8. *neve negotietur, pecuniamque domini occupet.* Vid. Oudend. ad Lucan. 2, 373. et Swarz. ad Plin. Paneg. 36. p. 538.

Bistonia] h. e. Thracia. Bistones Thraciae populi. Sed poetae sic vocant omnes Thraces. Venusta autem periphrasi *lavare membra Bistonia aqua* dicitur pro venire in Thraciam. Simili periphrasi v. 87. *At si nostra tuo spumescant aequora remo*, nihil aliud significatur, quam si tu ad nos navigaveris; sic *bibere Ararim* Virg. Ecl. 1, 63. dixit pro habitare in Gallia. Tales periphrases observandae sunt iis, qui ad poetices laudem adspirare velint, quas nuper in Virgilio praeclare explicuit Cl. Heynius.

V. 91. *Oculis species inhaeret*] h. e. animo meo ita obversatur, tanquam eam oculis cernam. Ep. 7, 26. *Aeneas oculis semper vigilantis inhaeret.* In hac re etiam usitata sunt verba *oberrare* et *inerrare.* Seneca Herc. Fur. 1145. *post reditus quoque Oberrat oculis turba feralis meis.* ubi v. Gronov. Plin. Ep. 7, 27. *nam interdiu quoque, quanquam abscesserat imago, memoria imaginis oculis inerrabat.* ubi plura congessit Cortius.

V. 92. *Premeret*] *Premere portus* poetice dicitur pro navigare in portu. Sic *freta premere* Amor. 1, 9. 13. *Premere littora* pro vehi in littore Met. 14, 416. *Premere aëra* pro volare ap. Lucan. 7, 835.

V. 94. *Oscula jungere*] Frequens poetis pro osculari. Ep. 18, 101. *Excipis amplexu, feliciaque oscula jungis.*

V. 98. *Face exspectes*] *Face* antique dicitur pro *fac.* Sed semper elidendum est, ut corripiatur. Nam monosyllabum *fac* longum est. v. Voss. de art. Gramm. 2, 29. et interpp. ad h. l. *Face exspectes* est exspecta, ut saepe ap. Terentium, Ciceronem, alios.

V. 101. *Serus*] Pro *sero*, adject. pro adverbio. Exempla ad Ep. 1. dedimus.

V. 102. *Ut tua sit solo tempore lapsa fides*] h. e. ut fides tua alioquin certa et constans in solo tempore definiendo erraverit.

V. 103. *Tenet*] Hoc verbum tanquam sedem habet in amore et re venerea. Amor. 3, 7, 3. *Hanc tamen in nullos tenui male languidus usus.* Tibull. 1, 6, 3. *Saepe aliam tenui*, ubi v. Broukh. Phaedr. 2, 2, 3. *Aetatis mediae quendam mulier non rudis Tenebat.* ubi v. interpp.

Altera] h. e. alia. Tibull. 4, 1, 18. *Alter dicat opus magni mirabile mundi.* ubi v. Broukh. Contra *alius* interdum pro *alter* poni, docent viri docti ad argumentum Plaut. Capt. et Is. Casaub. ad Capitol. Ant. Pium 12.

V. 105. *Tibi excidimus*] h. e. mei oblitus es. Ep. 12, 71. *Nostine, an exciderunt mecum loca?* Seneca Med. 561. *vadis oblitus mei Et tot meorum facinorum? excidimus tibi?* v. Broukh. ad Tibull. 3, 1, 20.

V. 106. *Quae sim Phyllis, et unde*] Formula *quis*, aut *unde* duplicem vim habet. Nam interdum est ignotum compellantis, ut Ep. ex P. 4,5,11.

Si quis, ut in populo, qui sitis et unde, requiret. Interdum contemnentis, cum fingimus per superbiam, nos eum ignorare, quem maxime nosse et aestimare deberemus, ut h. l. Cic. ad Div. 7, 16. *oro te, quis tu es?* Hanc duplicem formulae vim h. l. Burm. confudit. Distinctius eam explicuit Duker. ad Flor. 1, 18. p. 162.

V. 107. *Longis erroribus acto*] h. e. agitato, vexato Met. 4, 566. *longisque erratibus actus.* Saepe sic Ovidius.

V. 111. *Regna Lycurgi*] h. e. Thraciam. Nam Thraciae rex fuit Lycurgus, Dryantis filius. v. Serv. ad Virg. Aen. 3, 14.

V. 112. *Nomine femineo*] Per periphrasin dicitur pro femina, ut *nomen Romanum* pro Romanis. Burm. ad Ep. 17, 60. Ovidium imitatur Silius Ital. 14, 70. *Quid referam Aeolio regnatas nomine terras?* ubi v. Drakenb.

Rhodope et Haemus] Thraciae montes, quorum alter *glacialis* dicitur, quod glacie et nivibus obsitus est, alter *umbrosus*, propter frondes arborum in eo consitarum.

V. 114. *Sacer Hebrus*] Hebrus, Thraciae fluvius, *sacer* dicitur, sive propter orgia Bacchi in Thracia, sive quod omnes fluvii sacri essent et Deorum numero adscripti. v. Heins. h. l. Fontes etiam *divinos* fuisse docet Broukh. ad Propert. 1, 18, 27.

Admissas aquas] h. e. incitatas, celeres. Hoc verbum illustravimus ad Ep. 1, 36.

Exigit] h. e. vehementer agit, propellit. Avien. 635. de Rhodano: *Effusus ille et ore semet exigens.* Ita Trist. 5, 5, 31. *ignis* dicitur *exigere nebulas.* v. Burm. ad h. l.

V. 115. *Avibus sinistris*] h. e. omine infausto. Locutionem ex disciplina augurali ortam in Antiquitatibus illustramus.

Virginitas libata] *Libare* proprie est carpere, minuere. Ita Ep. 16, 159. *Vel mihi virginitas esset libata.* Ita Ep. 4, 27. *Tu nova servatae capies libamina famae*, h. e. tu primus pudicitiam adhuc servatam imminues. Contra *illibatus* est integer, non imminutus. Sic *virginitas* puellae, cui pudicitia constat, *illibata* dicitur Val. Max. 6, 1, 4. v. Heins. ad Vell. Pat. 2, 16.

V. 116. *Zona recincta*] Apud veteres puellarum nubilium pudenda cingulis vel zonis muniebantur, ut libidinosorum hominum vis arceretur. Zonam prima nocte maritus recingebat vel solvebat. v. Fest. v. Cingulo. Soluta zona sacrabatur Junoni Cinxiae. v. Fest. v. Cinxiae. Hinc orta est locutio, *zonam solvere* vel *recingere*, pro minuere virginitatem. Catull. 2. *Quod zonam soluit diu negatam.* ubi v. Is. Voss. Adde Spanhem. ad Callim. H. in. Dian. 14.

V. 117. *Pronuba*] Est mulier univira, quae, tanquam auspex, nuptiis adhibebatur. v. Fest. in v. In faustis nuptiis ipsa Juno ut pronuba inducitur. Ep. 6, 43. *pronuba Juno Adfuit, et sertis tempora vinctus Hymen.* Contra in nuptiis infaustis Furiae officium pronubae praestitisse finguntur. Sen. Oed. 644. *Et mecum Erinnys pronubas thalami traham.* v. Ep. 11, 103. et Lucan, 8, 90. et interpp. ad h. l.

Ululavit] h. e. lugubrem vocem edidit. *Ululatus* saepe tribui solet Furiis. v. Claud. in Rufin. 1, 130.

V. 118. *Devia avis*] *Devius* est a via publica remotus, ut *devium tugurium* ap. Liv. 3, 13. ubi v. Drakenb. *Devia avis* est *strix*, *bubo*, vel alia, deserta incolens, et mali ominis habita. v. Virg. Aen. 4, 462. et Serv.

V. 119. *Brevibus torquata colubris*] *Torquatus* est torque cinctus. Solent autem poetae Furiis pro capillis colubras per collum et caput labentes tribuere. Tibull. 1, 1, 3. *Tisiphoneque impexa feros pro crinibus angues*, ubi aliorum poetarum loca dedit Broukh.

V. 120. *Sepulcrali lumina etc.*] Novae nuptae in mariti domum deducendae nuptialis fax praeferebatur. v. Ep. 11, 101. Hanc in nuptiis infaustis Furia praetulisse fingitur. Ep. 6, 45. *Tristis Erinnys Praetulit infaustas sanguinolenta faces.* Pessimum praeterea omen habebatur, si illa fax de rogo accensa esset. Met. 6, 430. *Eumenides tenuere faces de funere raptas.*

Lumina mota] h. e. quassata, agitata, ut clarius lucerent. Ov. Met. 4, 758. *taedas Hymenaeus Amorque Praecutiunt.* ubi v. Heins.

V. 121. *Fruticosaque littora*] Haec lectio in mendo cubat. Nulli enim in littore frutices. Itaque probanda est virorum doctorum emendatio *scruposaque* littora h. e. lapillis et scrupis plena. v. Heins. ad Val. Flacc 2, 518. Burm. legere mallet *fruticosaque culmina.* Sed, ut taceam, vix *littora* in *culmina* a librariis converti potuisse, tautologia ex hac lectione oritur. Nam *scopuli* et *culmina* vix differunt. Praeterea *culmen* numquam simpliciter dicitur pro monte vel colle. Acquiescendum igitur in proposita emendatione.

V. 122. *Quaque patent*] Si *calco* cum *aequora* jungatur, absurdus sensus existit. Burm. igitur tentabat *littora lata.* Verum poetae semper *littora curva*, *longa* dicunt, nunquam *lata.* Commodissimum fuerit, cum Heusingero locum sic interpungere: *Moesta tamen scopulos fruticosaque litora calco; Quaque patent oculis aequora lata meis*, (*Sive die laxatur humus, seu frigida lucent Sidera*) *prospicio etc.*

V. 123. *Sive die*] Elegans diei et noctis periphrasis. *Die laxatur humus*, h. e. solis tepore solvitur, aperitur, quae nocturno frigore adstricta fuit. Hor. 1. c. 4, 10. *flore, terrae quem ferunt solutae.* v. Intpp. ad h. l.

V. 124. *Prospicere*] Proprie est ex alto videre. Ep. 5, 63. *vela tuae prospexi prima carinae.* ubi v. Interpp. Virg. Aen. 3, 648. *vastosque ab rupe Cyclopas Prospicis.* v. Markl. ad Stat. Sylv. 2, 2, 45.

V. 126. *Meos Deos*] h. e. propitios, faventes, qui te mihi restituunt. Ep. 12, 84. *Sed mihi tam faciles unde, meosque Deos?* Virg. Aen. 2, 396. *Vadimus immixti Danais haud numine nostro.* Tibull. 3, 3, 28. *Audiat aversa non meus aure Deus.* ubi hanc elegantiam pluribus exemplis illustrat Broukh.

V. 128. *Mobile etc.*] Elegans descriptio litoris.

V. 129. *Minus et minus utilis*] h. e. minus compos mentis, vel inepta. Ep. 1, 105. *ut qui sit inutilis armis.* v. Interpp. h. l. Ante *minus* supplendum *eo*, quod saepe post *quo* omittitur. Ep 4, 19. *Venit amor gravius, quo serius.* Rutil. Lup. 1. p. 17. *quo plus habes, magis eges.* Sic post *quanto magis* omittitur *tanto.* Plin. Paneg. 73. *quanto magis a te reprimebatur, exarsimus.* ubi v. Swarz.

V. 130. *Linquor*] scil. animo, quod alii scriptores addere solent, ut Suet. Caes. 45. *nisi quod repente animo linqui solebat.*

Excipienda] *Excipere* proprie dicitur, qui cadentem sustinet. Ov. Met. 10, 186. *collapsos excipit artus.* Val. Flacc. 2, 253. *tunc excipit artus.* ubi v. Burm.

V. 131. *Adductos in arcus*] *Adduci* arcus dicitur, cujus nervus tenditur. Virg. Aen. 5, 507. *Post acer Maestheus adducto constitit arcu.* v. Oudendorp. ad Lucan. 3, 700. Simplex *ducere* eodem sensu est ap. Sil. It. 2, 127. ubi v. Drakenb.

Falcatus] *Falcari* est, in modum falcis incurvari. Met. 11, 229. *Est sinus Haemoniae, curvos falcatus in arcus.* et 14, 51. *Parvus erat gurges, curvos falcatus in arcus.* Etiam geographi in describendo maris sinu similitudinem ab arcu petere solent, ut Mela 1, 19 *Pontus sinuatus caetera, sed ad formam Scythici arcus maxime incurvus.*

V. 132. *Cornua*] Sunt extrema non modo arcus, sed etiam multarum aliarum rerum, ut promontoriorum, Lunae, antennarum, subselliorum, ut docet Dukerus ad Liv. 25, 3. Sil. Ital. 2, 126. *junctis jam cornibus arcus.*

Praerupta mole] h. e. praecipiti, praeacuta. Male autem Burm. duos MSS. secutus pro *mole* legit *fronte.* Nam *frons* est media loci facies, ut in exercitu extremitates *cornua* vocantur, *frons* media acies. Quae notio aliena est ab hoc loco. *Moles* est naturale opus, non solum manufactum, quo aquarum vis excipitur frangiturque.

V. 135. *Projectam*] Corpora, quae sepultura carent, proprie *projici* dicuntur. Ov. Ib. 166. *Indeploratum projiciere caput.* Prop. 1, 22, 7. *Tu projecta mei perpessa es membra propinqui.* v. Bentl. ad Hor. Epod. 10, 22.

V. 137. *Ut-superes te*] h. e. licet durior sis, quam soles esse. Locutio *se ipsum superare* variis modis usurpatur. Cic. ad Div. 12, 7. *tu fac in augenda gloria te ipsum vincas.* Plin. H. N. 36, 5. *Praxiteles marmoris gloria superavit etiam semet.*

V. 141. *Colla nectere lacertis* vel *collo nectere lacertos* frequens est poetis de mutuo amantium amplexu. Ep. 5, 48. *Ut tua sunt collo bracchia nexa meo.* ubi hanc locutionem copiose illustrat Heinsius.

V. 142. *Praebuerunt*] Observandum est, *praebuerunt* penultima brevi dici. Sic apud Ovid. aliosque *dederunt, steterunt, condiderunt* etc. penultima correpta. v. Pier. ad Virg. Geo. 2, 129. Heins. ad Ov. Ep. 7, 166. et ad Claud. de Laud. Stil. 1, 373.

V. 142. *Implicuisse libet*] Interdum prosae etiam orationis scriptores tempus praeteritum ponunt pro praesenti. Sed maxime poetis hoc tempus placuit in pentametro cum verbis *licet, libet, placet, juvat etc.* Ep. 3, 110. *fallentem deseruisse velis.* Ep. 4, 86. *Quid juvat incinctae studia exercere Dianae, Et Veneri numeros eripuisse suos?*

V. 143. *Stat*] h. e. certum est. Cic. ad Div. 9, 11. *Modo nobis stet illud, una vivere in studiis nostris.* Liv. 21, 29. *Nec Scipioni stare sententia poterat.* ubi v. Sigon.

Nece matura] h. e. festinata, celeri. Tibull. 4, 1, 205. *Seu matura dies celerem properat mihi mortem.* ubi v. Broukh.

Nece pensare pudorem] i. e. mortis laude aequare pudicitiae amissae infamiam.

V. 144. *In necis electum*] h. e. ut necem eligam. *In* cum Accusat. causam et finem significat. Manil. 1, 88. *Fecit et ignotis iter in commercia terris.* Flor. 2, 6. *in causam belli Saguntus delecta est.* ubi v. Duker. Alii tamen codd. habent: *in necis electu*, quod Heusing. defendit. Notandum vero *electus* pro *electione.* Multa alia occurrunt vocabula, quae olim ad legem et secundae et quartae declinationis nominum formatae sunt, de quibus v. Drakenb. ad Liv. 4, 9.

V. 145. *Inscribere*] Sic. Ep. 7, 193. *Nec consumta rogis inscribar Elissa Sichaei.*

Invidiosa] h. e. quae invidiam conflet. Ep. 7, 125. *Laudatrix Venus est invidiosa mihi.* Ep. 8, 49. *Nec virtute cares, arma invidiosa tulisti.* v. Gronov. et Drakenb. ad Liv. 9, 29.

V. 146. *Carmine*] *Carmen* h. l. est titulus, inscriptio. Ep. 7, 694. *Hoc tamen in tumuli marmore carmen erit.* Sil. Ital. 9, 266. *Signavit moriens sceleratum sanguine carmen.* ubi v. Drakenb.

Ille-illa] De duobus *ille* interdum eleganter geminatur. Ep. 3, 28. *Ille gradu propior, sanguinis ille comes.* Ter. Phorm. 2. 2, 18. *Quia enim in illis fructus est, in illis opera luditur.* Sed usitatius priore loco ponitur *hic.* v. Burm. ad h. l.

Epist. III.

V. 1. *Briseide*] *Briseis* dicitur patronymica forma a Brises. Proprium nomen erat Hippodamia. *Rapta* dicitur, quod Achilli erepta erat ab Agamemnone. v. Hom. Il. *A.* et Hygin. Fab. 106.

Littera] Singulari numero pro epistola, quod poetis proprium est. v. Ep. 5, 2. 15, 1. et Voss. de Vit. Serm. 6. p. 328.

V. 2. *Barbarica*] h. e. Phrygia. Nam Phryges per eminentiam quandam *barbaros* vocatos esse, supra docuimus.

V. 3. *Lacrymae fecere lituras*] Apta ad commiserationem excitandam liturarum excusatio. Trist. 1, 1, 13. *Neve liturarum pudeat, qui viderit illas. De lacrymis factas sentiet esse meis.* Cic. ad Div. 14, 3. *Accepi ab Aristocrito epistolas, quas ego lacrymis prope delevi.*

V. 7. *Regi*] i. e. Agamemnoni.

V. 9. *Simul*] h. e. simulatque. Sall. Cat. 7. *simul belli patiens erat.* Sed passim reperiuntur exempla etiam ap. Ovidium. v. Gronov. ad Liv. 4, 31.

V. 11. *Alter in alterius*] *Alter* recte jungitur cum plurali *jactantes* quia illud verbum ad utrumque pertinet. Par est ratio in *alius*. Caes. B. G. 7, 39. *alter pro Convictolitane*, *alter pro Coto summis opibus pugnaverant.* ubi v. Oudend. Liv. 2, 10. loco simillimo: *dum alius alium*, *ut proelium incipiant*, *circumspectant.*

V. 12. *Noster ubi esset amor*] Heins. ad h. l. et Markl. ad Stat. Sylv. 5, 2, 159. rectissime legunt *vester ubi esset amor*. *Vester* est *tuus*. Nam saepe personae ita mutari solent. Sic Ep. 9, 1. *Gratulor*, *Oechalium titulis accedere vestris.* Statim subjicitur singularis *factis infitianda tuis.* Plura exempla sunt ap. Markl.

V. 13. *Differri potui*] Ipsi etiam homines, non modo res, *differri* dicuntur. Rem. Am. 93. *Nec te venturas differ in horas*. Cic. ad Div. 5, 12. *sin autem differs me in aliud tempus.* Suet. Caes. 82. *renuentique et gestu in aliud tempus differenti*. ubi v. Oudend

V. 20. *Munus*] Capiendum per appositionem.

V. 21. *Data sim*] Eleganter pro concedam, me datam esse.

V. 23. *Menoetiades*] h. e. Patroclus, Menoetii filius.

In aurem dixit] h. e. leniter mihi insusurravit. Plaut. Trin. 1, 2, 170. *Sciunt id*, *quod in aurem rex reginae dixerit.* Martial. 5, 82. *Nescio quid dominae teneram qui garrit in aurem.* v. Interpp. ad h. l. Similiter Graeci dicunt *ἐς οὖς λέγειν*. v. Cl. Valcken. ad Eurip. Phoen. p. 714.

V. 25. *Parum est*] Elegans formula pro non satis est. Met. 6, 3. *laudare parum est.* Lucan. 4, 501. *Namque suis pro te gladiis incumbere*, *Caesar*, *Esse parum scimus.* Lactant. Div. Inst. 7, 3. *et hoc parum est*, *si membris suis non parcit Deus.* v. Gronov. ad Plin. H. N. 21, 13. et Burm. ad h. l. Similiter dicitur *parum habere*. Sall. Jug. 31. *tamen haec talia facinora impune suscepisse*, *parum habuere.* ubi pluribus hanc formulam illustrat Cortius.

Pugnas] *Pugnare* significat omnem operam dare, ut quid fiat. Cic. ad Div. 3, 10. *illud pugna et enitere*, *ne quid nobis temporis prorogetur.* Hoc sensu saepe cum infinitivo struitur. Rem. Am. 122. *Pugnat in adversas ire natator aquas.* Stat. Theb. 4, 394. *pugnant exire paventque.* Contra *repugnare* est eniti, contendere, ne quid fiat. Ep. 17, 137. *Sed amare repugno Illum.* ubi v. Heins., qui etiam de his verbis notavit ad Fast. 3, 308. et ad Claud. de Raptu Pros. 2, 196.

V. 26. *I nunc*] Elegans formula insultantis vel increpantis. Ep. 4, 127. *I nunc*, *sic meriti lectum reverere parentis.* ubi multa exempla habet Heinsius.

Cupidus] Propria vox in ardenti amore. Auct. Cir. 78. *Et cupidos quaestu passim spoliaret amantes.* Ep. 5, 129. *A juvene et cupido credatur reddita virgo.* v. Broukh. ad Tibull. 1, 10, 58.

V. 27. *Telamone natus*] Est Ajax, distinguendus ab Ajace, Oilei filio. Fuit autem Telamo frater Pelei.

Amyntore natus] Est Phoenix, Achillis praeceptor, qui, quod alumnum semper comitabatur, *comes* dicitur.

V. 29. *Laërtaque satus*] i. e. Ulysses, Laërtae filius. *Satus* i. est q. natus, translatione facta a propagatione arborum ad propagationem generis humani. Met. 1, 82. *satus Iapeto.* Et sic *sator* pro pater apud poetas. Burm. putat, perinde esse, *Laërtaque satus* an *Laertaeque satus* legatur. Dicitur quidem *natus patre* et *natus patri*, sed illam rationem non licet ad *satus* transferre.

Comitata] Hoc participium passive capiendum, ut saepe. v. Ep. 12, 135.

V. 31. *Operoso ex aere*] *Operosa* dicuntur omnia, in quibus elaborandis multum operae ab artificibus consumitur. Cic. de Leg. 2, 26. *ne quis sepulcrum faceret operosius*, *quam quod decem homines effecerint triduo.* Suet. Aug. 72. *ampla et operosa praetoria gravabatur.*

V. 36. *Corpora*] h. e. servae. Nam servi et servae non homines habebantur, sed tantum corpora. Trist. 4, 2, 36. *corpora capta Deo.* Val. Flacc. 2, 653. *centumque pares primaeva ministri Corpora.* Graeci

etiam servos *σώματα* vocant. v. Voss. Inst. Or. 4, 8. p. 183. et Gatak. ad Marc. Ant. 1, 16.

Domo] i. e. patria.

V. 38. *Puella*] h. e. filia. Sic *puer* saepe pro filio. Ep. 16, 90. *Regius agnoscor per rata signa puer.*

V. 41. *Vilis*] Dicitur, in cujus jactura non magnum est damnum. v. Burm. ad Ep. 7, 48.

V. 43. *Tristis fortuna*] Est adversa, cui opponitur laeta h. e. prospera. Trist. 5, 12, 6. *Sorte nec ulla mea tristior esse potest.* Cic. p. Mur. 19. *quid tua sors? tristis.* v. Interpp. ad Virg. Ecl. 9, 5.

Tenaciter] est pertinaciter. Ep. 4. ex P. 6, 7. *Perstat enim fortuna tenax.* Sic equus contumax dicitur *tenax* Amor. 3, 4, 13. et ap. Liv. 39, 25. et *morbus tenax* ap. Suet. Claud. 2.

V. 44. *Mollior aura*] Dicitur prospera fortuna, translatione sumta a navigantibus, quibus lenior aura accommodatior est vehementi. Trist. 4, 5, 20. *Dum veniat placido mollior aura deo.* v. Heins. ad h. l. Ovidium imitatur poeta incertus Anthol. lat. 3, 202. p. 639.

V. 46. *Et fueram patriae*] h. e. ipsa quoque sensi magnam partem calamitatis, quae patriam adflixit. Imitatur Virg. Aen. 2, 5. *Quaeque ipse miserrima vidi, Et quorum pars magna fui.*

V. 47. *Vidi ego*] i. e. his ipsa oculis vidi. Nam magna vis est in addito pronomine *ego.* Rem. Am. 101. *Vidi ego, quod primo fuerat sanabile, vulnus.* Tibull. 1, 4, 29. *Vidi ego jam juvenem.* ubi multa exempla congessit Broukh. Adde Burm. ad h. l.

V. 47. *Consortes generis*] Sunt fratres, *consortes necis*, qui eodem modo perierunt. Ep. 15, 29. *consors patriaeque lyraeque.*

V. 51. *Tot tamen*] Hoc perinde est, ac si dixisset: *tot tamen amissos et compensavimus uno.* Swarz. ad Plin. Paneg. 37. Nam verba *compensare*, *repensare*, *mutare* et similia duplicem recipiunt constructionem, quam ad h. l. explicat Burm., sed luculentius Magnus Bentl. ad Hor. 2. Carm. 16, 19. et 2. Serm. 7, 109. Vell. Paterc. 2, 21. *cujus interitus voluptas amissorum aut gladio aut morbo civium paene damno repensata est.* et c. 88. *praematuram mortem immortali nominis sui pensavit memoria.* Add. Gronov. Observ. 4, 13. et Interpp. ad Ov. Met. 7, 60.

V. 53. *Juratus*] Active capiendum pro *eo, qui juravit*, ut Amor. 2, 18, 2. et multis aliis locis. De constructione *jurare per numen* diximus ad Ep. 2, 23.

Matris aquosae] i. e. Thetidis, quae Achillis mater habebatur. Met. 11, 226. *Thetis aequorea* dicitur.

V. 54. *Utile-fuisse capi*] Hoc perinde est, ac si dixisset: *utilem fuisse captivitatem.* Nam infinitivus centies ponitur pro substantivo. Ep. 16, 233. *dolor est meus, illa videre.* Cic. ad Att. 13, 28. *cum vivere ipsum turpe sit nobis.* v. vir. doct., quos laudat Drakenb. ad Liv. 1, 54.

V. 55. *Repellas*] Cum contextus satis doceat, in *utile fuisse* non *tibi*, sed *mihi* subintelligendum esse, omnino h. l. revocanda est veterum edd. lectio *repellar*, cui viri docti perperam substituerunt *repellas.* Nec illa scriptura firmatur sequenti *fugias*, ut Dan. Heins. putabat. Nam nihil frequentius est, quam orationem eo modo mutari. v. Intpp. ad Liv. 1, 50.

V. 56. *Mecum fugias*] *Mecum* non cum *fugias* jungendum, sed cum *dentur.*

V. 57. *Cum crastina fulserit Eos*] *Eos*, vox Graeca, a poetis latinis recepta, significat Auroram. Exempla sunt ap. Heins. ad h. l. *Eous* vero masc. gen. notat Luciferum, nunquam Auroram, ut male accepit Burm. ad Val. Flacc. 7, 22. In nonnullis MSS. legitur *cum crastina fulserit hora.* Quod etsi Heinsio non displicet, tamen repudiandum videtur. Nam verbum fulgere *Aurorae* convenit, non *horae.*

V. 58. *Dare*] Ponitur pro *daturum*, praesens pro fut., ut millies. Cic. ad Att. 4, 16. *Cato tamen adfirmat, se vivo illum non triumphare* pro *triumphaturum.* Caes. B. G. 4, 21. *Qui polliceantur, obsides dare atque imperio Pop. Rom. obtemperare.* ubi v. Davis. Add. Intpp. ad Liv. 2, 5.

Linea vela] Heins. rectissime legit *lintea plena*. Sic Rem. Am. 266. *Ille dedit certae lintea plena fugae*. *Linea vela* nec Ovidius dixit, nec quisquam alius poetarum.

V. 59. *Scelus - contigit aures*] i. e. *scelus audivi*. Met. 1, 211. *Contigerat nostras infamia temporis aures*.

V. 60. *Sanguinis atque animi pectus inane fuit*] h. e. corporis et mentis vires me defecerunt. Sic si locus capiatur, non opus est corrigere *animae*. Contraria formula est *redit animus*, de qua v. Heins. ad Ep. 6, 31.

V. 63. *Devorer*] i. e. *absorbear*. Est autem solenne miserorum votum. Petron. 81. *Ergo me non ruina terrae potuit haurire? non iratum etiam innocentibus mare?* v. Drakenb. ad Sil. Ital. 4, 332.

V. 64. *Missi fulminis*] i. e. *jacti*. Sic dicitur *mittere tela*, *pila*, *tragulam*, ut ap. Caes. B. G. 5, 44. ubi. v. Oudend.

V. 65. *Phthiis remis*] i. e. *Phthiae*, quae Achillis patria est, factis.

Canescant] v. notata ad Ep. 1, 6 Idem ita expressit Ep. 2, 87. *At si nostra tuo spumescant aequora remo*.

V. 67. *Si tibi jam*] Mirum est, utrumque Heinsium *jam* in *tam* mutasse: nam hujus particulae elegans vis est in argumentando. Ep. 17, 63. *Si jam divitiis locus, hic numeroque virorum*. *Vincitur*. v. Burm. ad A. A. 2, 597.

V. 68. *Non ego sum cet.*] i. e. non ego grave onus classi futura sum. Ep. 7, 107. *Pater pia sarcina nati*. 8, 94. *Nec gremio sedi sarcina grata tuo*. Trist. 1, 3, 84. *Accedam profugae sarcina parva rati*.

V. 70. *Lanas molliat*] *Mollire* ponitur pro *nere*. Fast. 3, 807. *Pallade placata lanam mollite, puellae*. Idem dixit *lanas rudes excolere* A. A. 2, 219.

V. 71. *Achaidas*] de hac forma v. Heins. ad Ep. 9, 73.

V. 73. *Socero*] i. e. *Peleo*, patre Achillis. Peleus autem nepos erat Jovis et Aeginae. Jupiter et Aegina procrearunt Aeacum, hic Peleum. v. Apollod. 3, 11. Hygin. F. 52. 54. et Burm. Catal. Argonaut. v. Peleus.

V. 74. *Cui prosocer esse velit*] Observandus est *dativus* pro *genit*. positus. Supra v. 48. *tribus, quae mihi mater erat*. Rutil. Lup. 1. p. 38. *patri tu filius es ad potiundas opes*. ubi plura exempla attulimus.

Prosocer] Alio nomine appellatur *magnus socer*. v. Fest. in h. v. Nereus erat Thetidis pater.

V. 75. *Data pensa trahemus*] *Pensum* proprie est manipulus lanae, quam domina ancillabus appendebat, ancillae in filis dominae rependebant. Propert. 4, 7, 37. *Et graviora rependit iniquis pensa quasillis*. v. Intpp. ad Ep. 9, 78.

Trahere] Poetis frequens est pro *nere*. Trist. 4, 1, 13. *Cantantis pariter, pariter data pensa trahentis*. Hinc *tracta* neutro gen. et *tractae* femin. dicuntur lanae fila in longum ducta, ut praeclare docet Magnus Scalig. ad Tibull. 1, 7, 86. Etiam *deducere* proprium in hac re verbum est. Catull. 64, 112. *Deducens fila supinis Formabat digitis*. Similiter Graeci dicunt κατάγειν. v. notas nostras ad Timaei Lex. Plat. p. 112.

V. 76. *Stamina*] sunt *fila*, ut Ep. 9, 79. *digitis dum torques stamina duris*.

Colus] Est instrumentum, cui lana involvebatur. Tibull. 1, 3, 86. *Deducat plena stamina longa colo*.

V. 77. *Exagitet*] i. e. *graviter increpet*, *vexet*. Prop. 2, 7, 81. *Exagitet nostros Manes, sectetur et umbras*. v. Manut. in Cic. ad Div. 1, 1.

V. 78. *Nescio quo modo*] Elegantissima formula est, cum rationem rei vel ignoramus, vel dicere nolumus. Trist. 3, 3, 8. *Terraque nescio quo non placet ipsa modo*. Cic. de Sen. 23. *sed nescio quomodo animus erigens se posteritatem semper prospiciebat*. Pro *erat* scrib. *erit*, ut est in omnibus libris.

V. 79. *Scindi*] i. e. *evelli*. Ep. 11, 57. *Scissa tunicaque comaque*. *Rumpere capillas* dixit supra v. 15.

V. 80. *Leviter dicas*] i. e. *tenui* et quasi *suppressa voce* dicas. Amor. 1, 6, 12. *Et leviter, fies tu quoque fortis, ait*. v. Burm. ad h. l. Alio sensu

leviter dicere est sine verborum acerbitate dicere. Cic. ad Div. 3, 6. *Alieni hominis, ut levissime dicam, et fugientis congressum.*

V. 81. *Dum ne*] Ponitur pro *dummodo non.* Liv. 3, 21. *Dum ego ne imiter tribunos.* ubi v. Drakenb.

V. 85. *Animos*] *Animi* numero multitudinis saepe ponitur pro *superbia, ferocia, iracundia.* Cic. p. leg. Man. 22. *quae civitas unius tribuni militum animos ac spiritus capere possit.* Ov. Met. 1, 166. *Ingentes animos, dignas Jove concipit iras*, ubi v. Intpp. et Drakenb. ad Liv. 2, 27. et 7, 10.

V. 86. *Opes*] i. e. *vires, potentiam.* Fast. 6, 568. *Hostiles ingeminavit opes.* Cic. p. Sext. 1. *pro tantis opibus reipublicae tantaque dignitate imperii.* Ita gens vel civitas *opulenta* est *potens, viribus valens.* v. Drak. ad Liv. 2, 21.

V. 87. *Aeacida*] est vocat. Latin. a recto *Aeacida.* Saepe enim Latini graeca nomina exeuntia in *es* formant in *a*, ut *Atrides, Atrida; Scythes, Scytha.* v. Voss. de Analog. 2. Heins. ad h. l. et Drak. ad Sil. Ital. 13, 796. Est autem *Aeacida* Achilles, Aeaci nepos.

V. 88. *Turbatos*] i. e. de gradu et statu suo dejectos. Proprium verbum in re militari ut et *premere.* Metam. 12, 134. *Cedentique sequens instat, turbatque ruitque.* v. Burm. ad Val. Flacc. 4, 293.

V. 89. *Mota est*] i. e. *incerta est*, ut patet ex opposito *desinat.* A. Am. 2, 575. *Quam mala, sol, exempla moves.* v. Bentl. ad Hor. 3. Carm. 7, 20.

V. 90. *Tristitiae*] Exquisite dicitur pro *iracundia.* Sic *tristis* pro *iratus* Plaut. Casin. 2, 3, 14. *Non decet, te esse tam tristem tuo Jovi.* Propert. 1, 14, 16. *Nulla mihi tristi praemia sint Venere.* Tibull. 4, 4, 20. *Si quando fuerit tristior illa tibi.* ubi v. Broukh.

Modus] i. e. *finis, terminus*, quem transire non licet. Ep. 7, 160. *damnis sit modus ille tuis.* Hinc *modus* et *finis* saepe junguntur. Cic. Verr. 2, 48. *ut nos modum aliquem et finem orationi nostrae criminibusque faciamus.* Hor. 1. Serm 1, 106. *Est modus in rebus, sunt certi denique fines.*

V. 91. *Precibus succumbere*] i. e. *vinci* precibus, *exorari.* Ita A. A. 2, 186. *Succubuit meritis trux tamen illa viri.*

V. 92. *Oenides*] i. e. Meleager, Oenei filius, cujus uxor Cleopatra. Historiam, ad quam hic respicitur, narrat Hom. Il. I, 525 sqq.

V. 94. *Nati spemque*] sc. quam de eius indole conceperat. Sic *spes* vocantur ipsi liberi propter spem, quam parentes de bonis liberis habent. Petron. 4. *Spes suas ambitioni donant.* Ovid. Metam. 2, 719. *Spemque suam motis avidis circumvolat alis.* v. Gronov. Observ. 3, 23.

V. 95. *Caput*] i. e. *vitam.* Ep. 12, 20. *Demta forent capiti quam mala multa meo!* v. Heins. ad Ep. 20, 127.

Positis ab armis] *Ponere arma* est cessare a bello. Am. 2, 9, 35. *positis nudus tibi praebeor armis.* Liv. 6, 10. *inde edictum, ut arma ponant, parcique jussum inermi.* ubi v. Drak. Lucan. 1, 450. *positis repetistis ab armis.* ubi v. Intpp.

V. 96. *Rigida*] i. e. *dura, contumaci.* Ut *constantia* in laude ponitur, sic in vitio *rigor.* v. Ep. 4, 73.

V. 98. *Pro nullo pondere*] i. e. tamquam *nullius ponderis.* Prop. 1, 10, 24. *Neu tibi pro vano verba benigna cadant.* Liv. 2, 7. *Etrusci pro victis abiere.* Id. 4, 7. *pro firmato stetit magistratus ejus jus.* v. Heins. ad h. l.

V. 100. *Dominum torum*] i. e. *dominicum* vel *herilem* torum. Saepe poetae substantivis pro adjectivis utuntur. Ep. 2, 41. *torus maritus.* Amor. 2, 5, 30. *dominas manus.* Ep. 10, 90. *manus serva.* Apud Stat. Theb. 5, 588. *arae dominae.* v. Heins. ad h. l., imprimis Drak. ad Sil. Ital. 3, 387.

V. 101. *Memini*] Hoc verbum saepe ab adfirmantibus per parenthesin interjicitur. Ep. 5, 25. *Populus est (memini) fluviali consita ripa.* Contra a dubitantibus inseritur: *Si memini.* Amor. 3, 1, 33. *Altera (si memini) limis subrisit ocellis.*

V. 103. *Male tecta*] i. e. *non satis* tecta, *vix* sepulta. A. A. 1, 660. *macie quae male viva sua est.* Flor. 3, 21. *male obrutum incendium revivisceit.* De hac eleganti vi vocis *male* v. Freinsh. ind. Flor. et Heins. ad Ov. Fast. 2, 170.

V. 104. *Judiciis*] Poetice pro *judicio*. Ep. ex Pont. 3, 5, 52. *Candida judiciis illa sit hora meis.* v. Burm. ad h. l.

Verenda] i. e. *veneranda, reverenda.* Ep. ex P. 3, 1, 143. *Curia cum patribus fuerit stipata verendis.* Liv. 5, 28. *et Deum et doni causam veritus.* ubi v. Drakenb.

V. 105. *Mea numina*] Veteres per manes, cineres et ossa propinquorum jurare, ipsosque propinquos defunctos *numina sua* appellare solebant. Sil. Ital. 6, 113. *Testor mea numina, manes.* v. Lamb. et Torrent. ad Hor. 2. Carm. 8, 9.

V. 107. *Caput junximus*] Honesta locutio est de venerea consuetudine. Petron. 22. *Quidam in ipso limine conjunctis marcebant capitibus.* Eandem rem sic extulit Prop. 2, 11, 22. *Mecum habuit positum lenta puella caput.* v. Heins. ad h. l.

V. 108. *Cognita tela meis*] i. e. quorum vim maritus et fratres mei experti sunt exitio suo. Ov. Met. 12, 69. *fortisque animae nece cognitus Hector.*

V. 109. *Mycenaeum*] i. e. Agamemnonem, regem Mycenarum.

Sociasse cubilia] i. e. concubuisse. Met. 10, 632. *Unus eras, cum quo sociare cubilia possem.*

V. 110. *Fallentem*] *Fallere* dicuntur, qui *pejerant.* Hor. Carm 2, 8, 9. *Expedit, matris cineres apertos Fallere.* Amor. 3, 3, 15. *Dicite, dii, si vos impune fefellerit ista.* v. Heins. ad Ep. 2, 37. Sic etiam *decipere* dicitur, ut ap. Sil. Ital. 1, 481. 6, 693.

V. 112. *Gaudia facta*] *Gaudia* verecunda ratione dicuntur de concubitu. Prop. 2, 11, 9. *Quanta ego praeterita collegi gaudia nocte.* Petron. 87. *Male repugnanti gaudium extorsi.* Nemes. Ecl. 2, 7. *Tum primum dulci carpebant gaudia furto.* Ovidiana exempla dedit Heins. ad Ep. 18, 43.

V. 113. *Plectrum*] A graeco πλήσσω, *percutio*, est instrumentum, quo fides citharae percutiuntur. Hor. Carm. 2, 13, 26. *Et te sonantem plenius aureo, Alcaee, plectro dura navis*, quem Horatii l. respicit Quinct. 10, 1. p. 896. *Plectra movere* est *lyra* vel *cithara canere.* Stat. Sylv. 1, 2, 2. *Cui, Paean, nova plectra moves?* Sic *citharam cum voce movere* Met. 5, 112.

V. 115. *Et si quis quaerat*] Pulcherrima apud Heusing. lectio codicis est per interrogationem: *Et quisquam quaerit?* Sic Amor. 3, 8, 1. *Et quisquam ingenuas etiamnunc suspicit artes?* ubi v. Heins.

V. 116. *Juvant*] i. e. *delectant.* Justin. 31, 8. *Juvabat Ilienses, Asiam ut avitum regnum vindicare.* Ep. 15, 16. *Nec me Lesbiadum caetera turba juvant*, et sexcentis locis aliis.

V. 118. *Threicia lyra*] Dicitur, quod, ut ait Hygin. Astron. 7. *lyra initio, a Mercurio facta de testudine, Orpheo Thraci est tradita, qui ejus rei maxime studiosus fuit.*

V. 119. *Acutae cuspidis hastam*] i. e. hastam *acuta cuspide instructam.* Met. 7, 131. *viderunt praeacutae cuspidis hastas.* Poterat etiam dixisse *hastam acuta cuspide;* nam hae locutiones promiscue per genitivum et ablativum efferuntur.

V. 121. *Pro tutis*] Heins. recte legit *prae tutis insignia* i. e. *insignia* magis tibi placebant, quam *tuta.* Nam *prae* eleganter inservit comparationi. Liv. 3, 26. *qui omnia prae divitiis humana spernunt.* ubi v. Drak.

V. 123. *dum*] i. e. usque dum.

V. 125. *Di melius*] scil. *dent* vel *ferant.* Solennis abominandi formula. Art. Am. 2, 388. *Di melius! vix hoc nupta tenere potest.* Met. 7, 37. *Di meliora! velim.* ubi copiose formulam illustrat Heins.

Vibrata] Illustr. Heins. legere malit *librata.* Sane *vibrare* et *librare* perpetuo a librariis permutantur. Cumque vicinae significationis sint, interdum vix decerni potest, utrum sit praeferendum. *Librare* proprie est *libra ponderare* et *expendere;* deinde jactum teli vel fundae meditari, experiri, quibus viribus telum adigendum sit. Virg. Aen. 8, 411. *Ecce, aliud summa telum librabat ab aure.* Sen. Hippol. 48. *Tibi libretur missile telum.* Hinc *libratores* dicebantur milites, qui tela, jacula, hastas emittebant. v. Tac. Annal. 2, 20. 13, 39. *Vibrare* primum celerem teli agita-

tionem, deinde ipsum teli jactum significat. Ep. 4, 41. *excusso telum vibrare lacerto.* Curt. 6, 5. *ut arcus facilius intendant et tela vibrent. Librare* igitur est jamjam missuri, *vibrare* mittentis. In horum verborum discrimine constituendo secuti sumus excellenti doctrina viros, Markland ad Stat. Theb. 5, 2, 102. et Swarz. ad Plin. Paneg. 13. p. 26. et p. 590. Aliud discrimen sibi in his reperire visus est Cl. Oudendorp. ad Lucan. 3, 4, 40. quem v.

V. 126. *Transeat*] Eleganter telum adactum dicitur *transire* corpus. Lucan. 4, 544. *Viscera non unus jam dudum transiit ensis.* ubi v. Oudend. Stat. Theb. 12, 750. *longo perlata tenore Transiit hasta duos.*

Pelias hasta] i. e. caesa in Pelio, monte Thessaliae. v. Hom. Il. *Π*, 143.

V. 128. *Oscula feram*] i. e. *dabo.* Fast. 2, 715. *Oscula quisque suae matri properata tulerunt.* ubi v. Heins. Sed interdum *oscula ferre* est auferre, accipere, ut Ep. 15, 101. *Non tecum lacrimas, non oscula summa tulisti.* Et sic *ferre* in aliis locutionibus duplicem vim habet.

V. 130. *Teucri frater*] i. e. Ajax Telamonius.

Credite] *Crede* et *credite* saepe sic interjicitur affirmandi causa. v. Trist. 4, 6, 39. Amor. 2, 2, 9.

V. 131. *Est aliquid*] i. e. magni momenti, magnae efficaciae est. Venusta formula, qua saepe utitur Ov. Rem. Am. 480. *Est aliquid, valida sceptra tenere manu.* Fast. 6, 27. *Est aliquid, nupsisse Jovi.* v. Intpp. ad Art. Am. 3, 755. Prop. 4, 7, 1. *Sunt aliquid manes.* ubi v. Passerat.

Tetigisse] *tenuisse* legit Gud. ad Phaedr. 2, 2. quod praeferendum videtur.

V. 132. *Praesentisque oculos admonuisse sui*] h. e. praesentia sua efficere, ut pristini amoris recordetur. Sic in Fragm. Halieut. 2. *dedit arma per omnes, Admonuitque sui. Admonere* exquisitiore potestate dicitur, quidquid aliquo cum aculeo in memoriam redit, et, ut Cic. ait, *animum memoria refricat.* Ep. 15, 104. *nec tu, Admoneat quod te, pignus amantis habes.* Varro R. R. 1, 1. *Annus octogesimus admonet me, ut sarcinas colligam, antequam proficiscar e vita.* v. praeter Heins. ad h. l. Manut. in Cic. ad Div. 2, 11. et Gronov. in diatr. Stat. c. 49. p. 322. Constructionem *admonere aliquem alicujus rei* exemplis confirmat Drak. ad Liv. 2, 36.

V. 134. *Comminuere*] i. e. durities tua frangetur. v. Heins. ad Metam. 12, 472.

V. 135. *Sic*] Cum subjunctivo eleganter usurpatur in precationibus et votis. Ep. 4, 148. *Sic tibi parcat Amor.* Hor. Carm. 1, 3, 1. *Sic te diva potens Cypri, Ventorumque regat pater.* ubi v. Lamb.

Implere annos] Ov. Trist. 4, 10, 77. dicit *complere fata sua.* v. Intpp. ad Flor. 2, 12. p. 375.

V. 138. *Ure*] *Urere* dicuntur omnia, quae molesta et acerba sunt. Ep. 4, 21. *Urimur, et caecum pectora vulnus habent.* Flor. 2, 6. p. 265. *Urebat nobilem populum oblatum mare.* ubi v. Duker. *Ure lenta mora* dicitur pro *lente* ure mora.

V. 140. *Quam sine te cogis* etc.] Supple *eam.* Pronomen *is*, sequente pronomine *qui*, eleganter mille locis omittitur, ubi, qui nunc latine scribunt, patrii sermonis consuetudine ad fastidium usque inculcant. Exempla ubique occurrunt. v. viros doctos, quos laud. Duker. ad Flor. 1, 1. p. 25.

V. 141. *Corpus*] h. e. pinguedo corporis. Phaedr. Fab. 3, 7, 5, *Aut quo cibo fecisti tantum corporis?* ubi v. Burm. Contra *corpus amittere* dixerunt Lucr. 1, 810. et Cic. ad Div. 7, 26.

V. 142. *Hoc animae*] Dicitur, ut *hoc muneris, hoc juris, id aetatis, id praesidii*, et caetera. v. Heins. ad Ep. 8, 104.

V. 143. *Destituor*] i. e. deficior. Liv. 25, 27. *a tanta repente destitutus spe Agrigentum navigat.* v. Intpp. ad Liv. 1, 51.

Repetam fratresque] i. e. petam, vel abibo; nam compositum *repetere* hic ponitur pro simplici *petere* abeundi significatione. *Repetere* etiam in aliis loquendi formulis pro *petere* dicitur. Mutius Ciceroni ad Div. 11, 28.

Quod munus adolescenti repetenti negare non potui. Sic *recipere* pro *capere*, *reposcere* pro *poscere*, etc.

V. 145. *Corpora*] poet. pro *corpus*.

V. 147. *Dea*] i. e. Minerva, quae prohibuit, quominus Achilles Agamemnonem interficeret. v. Hom. Il. *A*, 188.

V. 149. *Nostram, tua munera, vitam*] i. e. vitam, quam tuo munere servavi, quum me jure belli interficere potuisses. Venusta appositio, qua non solum poetae, sed alii etiam scriptores, utuntur. Liv. 38, 16. *Galli, magna hominum vis, in Dardanos provenerunt.* Tac. Germ. 12. *Centeni singulis ex plebe comites, consilium simul et auctoritas, adsunt.* Plin. Ep. 2, 17. *Quibus parvula, sed festiva area includitur, egregium adversus tempestates receptaculum.* v. Gronov. ad Liv. 22, 41. Drak. ad 25, 34 et Duker. ad Suet. Vesp. 8.

V. 154. *Remige*] i. e. per remiges. Met. 8, 103. *et aeratas impelli remige puppes.* Art. Am. 1, 310. *Sive virum mavis fallere, falle viro.* Flor. 2, 7. p. 335. *Omnia equis virisque quatiebat.* Hunc ablativi usum, ad quem VV. DD. saepe offenderunt, more suo explicat Gronov. Observ. 4, 17. et ad Liv. 2, 56.

Epist. IV.

V. 2. *Amazonio viro*] i. e. Hippolyto, quem Theseus crearat ex Amazone Antiope vel, ut alii scribunt, Hippolyte. v. Serv. ad Virg. Aen. 7, 761. et Meziriac. ad h. l.

Cressa puella] i. e. Phaedra, Minois, Cretensium regis, et Pasiphaës filia, uxor secunda Thesei, Demophoontis mater, Hippolyti noverca. v. Serv. l. c. Voce *puella* hic non aetatem, sed sexum indicari, ad Ep. 1, 115 docuimus.

V. 5. *Notis*] i. e. literis, ut *notare* pro scribere. Ep. 3, 2.

V. 8. *In primo ore*] h. e. in prima parte oris. Sic Terent. Adelph. prol. 9. *in prima fabula*, pro in prima fabulae parte. Cic. ad Div. 3, 6. *in prima provincia* pro in prima provinciae parte, ut contra ad Att. 5, 16. *in ultima provincia*, pro extrema provinciae parte. Similiter *primus tumultus* pro initio tumultus, *extremus annus* pro fine anni. v. Drak. ad Liv. 2, 33.

V. 9. *Qua sequitur*] Gronov. in Diatr. Stat. 45. p. 296. explicat *qua facile est.* Nam omnia, quae facilia sunt, quae cedunt, non reluctantur, exquisite *sequi* dicuntur. Plin. Ep. 7, 9. *Ut laus est cerae, mollis cedensque sequatur Si doctos digitos.* Stat. Ach. 1, 334. *Cerae Accipiunt formas, ignemque manumque sequuntur.* Sed rectius Gesn. Thes. L.L. v. *sequor* in verbo *sequitur* retrahit nominativum *pudor*. Nam *pudor sequitur*, velut innuentem aut vocantem.

V. 12. *Dominos deos*] Saepe dii deaeque majorum gentium *domini dominaeque* vocantur. Art. Am. 1, 148. *Tu Veneri dominae plaude favente manu.* Amor. 3, 10, 48. *Haec decet ad dominos munera ferre Deos.* v. Heins. ad h. l. Imprimis *dominae* titulus proprius fuit Cybelae. v. Serv. ad Virg. Aen. 3, 113. 5, 438.

In dominos jus habet] *Habere jus* in aliquem est potestatem habere in aliquem. Amor. 1, 1, 5. *Quis tibi, saeve puer, dedit hoc in carmina juris?* ubi copiosus est in hac formula illustranda N. Heinsius. Sic *sui juris esse* dicitur, qui nullius potestati obnoxius est. Cic. Verr. 1, 7. *Quod eos in judicando nimium sui juris sententiaeque cognosceret.* Et *suo jure* facere aliquid dicitur, qui quid libere, nullo impediente, facit. v. Cic. p. l. Manil. 22. et Ern. Clav. Cic. v. *jus*.

V. 14. *Dabit victas manus*] i. e. victum se esse fatebitur. Ep. 17, 260. *Et dabo conjunctas tempore victa manus.* *Porrigere manus* dixit Amor. 1, 2, 20. Loquendi ratio ducta est a gladiatoribus inter se pugnantibus quorum alter, ut se victum fateretur, manum tollebat et adversario victori tendebat. v. Gronov. Obss. 1, 7.

V. 15. *Adsit*] i. e. faveat, auxilium ferat. Liv. 3, 25. *Dic nostris nunc querelis adsint et mox armis.* 21, 6. *Quibus quum adesset idem, qui litis*

erat sator. Infra 169. *Sic tibi secretis agilis Dea saltibus adsit.* Contra *longe esse* dicitur, qui non prodest, non adjuvat. Ep. 12, 53. *Quam tibi nunc longe regnum dotale Creüsae. Et socer et magni nata Creontis erunt.* Virg. Aen. 12,52. *Longe illi dea mater erit* Flor. 2, 2. *Longe illis nauticae artes.* v. Gron. ad Senec. Hippol. 974 et Drakenb. ad Sil. Ital. 17, 80.

Avido fovet igne medullas] *Fovere* semper in bonam partem dicitur, atque adeo vix locum, quem habet, tueri potest. Placet igitur elegans Cl. Oudendorpii conjectura *avido coquit igne medullas.*

V. 16. *Figat sic animos*] Burm., cui *figere animos* insolentius dictum videtur, legendum conjicit *Frangat sic animos.* Sed *figere animos* dictum est, ut *figere pectus.* Duplex vero armorum Cupidinis genus exprimitur, faces et sagittae. Facibus coquebat medullas, sagittis figebat animos. Quae arma saepe junguntur ab Ovidio, ut Art. Am. 1, 21. *Quamvis mea vulneret arcu Pectora, jactatas excutiatque faces. Quo me fixit Amor, quo me violentius ussit.* Praepositio *in* finem significat, ut ap. Prop. 3, 2, 35. *Haec hederas legit in thyrsos.*

V. 17. *Socialia foedera*] Dicuntur Ep. 5, 101. *foedera lecti.* Interdum simpliciter *foedera*, ut Ep. 4, 147. *properataque foedera junge*, et Art. Am. 2, 578. *veniunt ad foedus amantes.* v. Intpp. ad Nemes. Cyneg. 24. et Drak. ad Liv. 3, 18.

V. 20. *Coecum*] i. e. occultum, latens.

V. 21. *Laedunt*] Elegantius est, quod vetus codex praebet, *urunt.* Nam *urere* est premendo cruciare. Prop. 4, 3, 23. *teneros urit lorica lacertos.* Hor. Epod. 4, 3. *Ibericis peruste funibus latus.* Ovidiana exempla habet Burm. ad h. l.

V. 22. *Frenaque vix patitur*] i. e. vix domari potest, ut ap. Phaedr. 4, 3, 9. *Atque ita coëgit frenos invitum pati.*

Equus captus de grege] Grammatici inter *armentum* et *grex* hoc discrimen statuunt, ut illud de animalibus majoribus, hoc de minoribus dicatur. Quod discrimen interdum neglectum esse, vel hic locus docet. De equis *grex* etiam dicitur ap. Suet. Caes. 81. de *elephantis* ap. Sil. It. 9, 572. ubi v. Drakenb.

V. 23. *Subit*] *Subire* aliquid dicitur, qui rem difficilem aut ingratam suscipit. Hinc frequentissimae sunt locutiones, *onus*, *jugum*, *laborem*, *potentiam*, *contumeliam subire.*

V. 24. *Sedet*] i. e. inhaeret. Plin. Paneg. 10. *Cum abunde expertus esset, quam bene humeris tuis sederet imperium.* ubi h. Ovid. loc. comparat. Swarz.

Ut] Ponitur pro *ubi*, *quando.* Hor. Carm. 3, 1, 9. *Est, ut viro vir latius ordinet Arbusta sulcis.* Val. Flacc. 1, 487. *Ille ut se mediae per scuta virosque carinae Intulit.* v. Heins. ad h. l.

V. 25. *A teneris annis*] i. e. a pueritia. Saepe etiam *a teneris* dicitur, omissa voce *annis.* Virg. Geo. 2, 272. *a teneris consuescere multum est.*

Condiscitur] Ponitur pro simpl. discitur. Cic. p. Quinct. 3. *ut in tua pecunia condisceret, qui pecuniae fructus esset.* Colum. R. R. 4, 15. *ut paullatim condiscat suis radicibus ali.* v. Intpp. ad Sil. Ital. 7, 461.

V. 26. *Quae venit*] Necessaria est Heinsii emendatio *cui venit* sc. amor. Nam refertur ad praecedentia, *Venit amor gravius quo serius. Venire* autem non solum bona, sed etiam mala, dicuntur, ut multis exemplis planum fecit Heins. ad h. l. et ad Fast. 5, 648. Phaedr. 1, 2, 31. *Hoc sustinete, majus ne veniat malum.* Liv. 3, 56. *Superbiae crudelitatique etsi seras, non leves tamen, venire poenas.*

Exacto tempore] i. e. fere ad finem perducto. Liv. 2, 40. *hanc saepe eum exacta aetate usurpasse vocem*, ubi v. Drakenb.; Cic. Verr. 1, 18. *Latonam gravidam temporibus exactis confugisse Delum.* Prop. 1, 3, 38. *Languidus exactis hei mihi, sideribus.* Lucan. 2, 577. *Ante bis exactum quam Cynthia conderet orbem.* v. Graev. Lect. Hes. 20. p. 103. Eodem modo *actis mensibus*, *actis annis* dicitur. Met. 2, 497. *Ter quinque fere natalibus actis.* ubi v. Heins. ad Burm. Add. Phaedr. 1, 18, 2.

Pejus amat] i. e. vehementius, ardentius amat. Sic Ep. 7, 30. *Sed queror infidum, questaque pejus amo.* Sic ap. Plautum *male timere* pro valde timere, *male macerari* pro vehementer macerari.

V. 27. *Tu nova* etc.] i. e. tu primus degustabis pudicitiam adhuc servatam, atque imminues. *Libamina* proprie dicuntur primitiae, quae diis offeruntur. v. quae de verbo *libare* diximus ad Ep. 2, 115.

V. 28. *Nocens*] Serv. ad Virg. Aen. 3, 300. observat, raro apud Latinos versum participio finiri, apud Graecos vero esse vitiosissimum. Sunt tamen pluscula exempla ap. Ov. Hac Ep. 154. Ep. 10, 12. 11, 126. et aliis locis, quamvis illa observanda potius sint quam imitanda. Broukh. ad Tibull. 3, 4, 46.

V. 29. *Carpere*] Proprie est fructus legere. Amor. 1, 10, 55. *Carpite de plenis pendentes vitibus uvas.*

V. 30. *Deligere*] i. e. legere, legendo carpere. Fest. de V. S. *Legimus deam glandemve, et addita praepositione dicimus colligimus et deligimus.* Idem v. sycophantas. *Juvenes solitos ajunt in hortos irrumpere ficosque deligere.* Ov. Rem. Am. 189. *Temporibus certis maturam rusticus uvam Deligit.* ubi v. Heins.

V. 31. *Si tamen*] Veteres editt. *Sic tamen,* quod Heins. spernere non debebat. Nam sensus est: quamvis pudicitiam hucusque illibatam servarim, vel sic tamen labe notanda erat. Sic est Met. 13, 243.

V. 32. *Candor*] Saepe refertur ad animum et significat vitae honestatem, ingenuum pudorem etc. Similiter *labes,* quod proprie maculam significat, ad animum refertur, et pro quovis crimine dicitur. Ep. 9, 8. *Laetaque sit vitae labe noverca tuae.*

V. 33. *Igni*] Antiquus ablativus pro *igne*, qui imprimis usitatus est poetis. v. Bentl. ad Hor. Serm. 1, 5, 72. et Drakenb. ad Sil. It. 7, 368.

V. 34. *Pejus adulterio* etc.] i. e. non amo deformem adulterum, quod pejus foret ipso adulterio. *Turpis* est deformis, ut Art. Am. 3, 255. *pulcrae turpesque puellae.*

V. 37. *Ignotas nitor in artes*] i. e. ignotam mihi venandi artem discere aut exercere conor. Saepe *niti* cum praepositione *in* construitur. Art. Am. 3, 667. *Quid aperto pectore in hostem Nitor.* ubi v. Heins. Justin. 29, 1. *in suorum quibusque majorum vestigia nitentibus magna indoles virtutis enituit.* Sen. de Clem. 24. *humanus animus in ardua nitens.* v. Oudend. ad Lucan. 5, 180. Alii codd. h. l. legunt: *ignotas mittor in artes.* Quod nec ipsum contemnendum esse, exemplis ostendit Burm. in add. ad h. l. Hor. Carm. 1, 16, 25. *Me quoque pectoris Fervor in celeres iambos Misit furentem.* i. e. impulit.

V. 38. *Per saevas ire feras*] Infeliciter Burm. legere tentat: *per sylvas impetus ire feras.*. *Ire per feras* eodem modo dicitur, quo ap. Liv. 38, 41. *Per medios hostes perrumpere*, et ap. poëtas, *ire per enses et gladios. Saevae ferae*, quae hominibus nocent, tamquam leones, apri, ursi; et opponuntur feris innoxiis, quales sunt cervi, damae, lepores. Ep. 7, 38. *te saevae progenuere ferae.* Met. 4, 404. *Falsaque saevarum simulacra ululare ferarum.* Sed ipse Burm. vincta sua caedit in add. ad h. l. v. eund. ad Claudian. Fescennin. 10.

Impetus est mihi significat consilium cepi, quod Graeco more cum infinitivo construitur loco gerundii. Ep. 5, 64. *Et mihi per fluctus impetus ire fuit.*

V. 39. *Prima*] Hic non ordinis est, sed dignitatis. Ter. Eun. 1, 2, 10. *apud te sum primus* i. e. praestantissimus, potissimus. Ov. Ep. 16, 257. *Et comitum primas Clymenen Aethramque.* Phaedr. 1, 13, 8. *Si vocem haberes, nulla prior ales foret.* ubi v. Intpp.

Cornu praesignis adunco] *Cornu aduncum* est arcus incurvus. v. Heins. ad h. l. *Praesignis* i. q. insignis. Metam. 3, 32. *Anguis erat cristis praesignis et auro.* v. Drak. ad Sil. Ital. 6, 43.

V. 40. *Delia*] i. e. Diana, quae sic vocatur, quod cum Apolline fratre uno Latonae partu in lucem edita est in Delo.

V. 41. *Pressis in retia cervis*] *Premere feram* proprie dicitur venator, qui feram clamore et cursu persequitur. Virg. Geo. 3, 413. *Ingenti clamore premes in retia cervum.* Sil. Ital. 10, 126. *Libyca foetam tellure leaenam Venator premit.* v. Intpp. ad h. l.

V. 42. *Hortari*] i. e. clamore incitare. Hoc verbum in venatione

tamquam domicilium habet. Met. 10, 536. *Hortaturque canes ritu succincta Dianae.* Nemesian. Cyneg. 196. *Nec non consuetae norint hortamina vocis.* v. Heins. ad Met. 2, 242.

V. 43. *Excusso lacerto*] i. e. vehementer jactato. Ov. Ep. ex P. 2, 9, 57. *Excusso jaculum torquere lacerto.* Lucan. 1, 424. *Optimus excusso Leucus Rhenusque lacerto.* Sen. de Benef. 2, 6. *infinitum interest, utrum tela excusso lacerto torqueantur, an remissa manu effluant.* v. Intpp. ad Petron. 95.

V. 45. *In pulvere*] i. e. in stadio vel campo, ubi equorum cursu pulvis excitatur.

V. 46. *Torquentem* etc.] *Sequax equus* est, qui frenum sequitur et facile in quamcunque partem flectitur. Ep. 19, 12. *Flectitis aut freno colla sequacis equi.* v. Heins. ad h. l. Sed cum verbum *torquere* contumaci potius equo, quam sequaci, conveniat, melius fuerit legere *ora tenacis equi.* Amor. 3, 4, 13. *Vidi ego nuper equum contra sua vincla tenacem.* Sic Oudend. e MSS.

V. 47. *Feror*] *Ferri* dicuntur, qui Furiis aut gravissima mentis conturbatione inpelluntur. Ep. 15, 140. *Illuc mentis inops feror.* ubi v. Burm.

Eleleides] Bacchae, quae sic dicuntur a Bacchi cognomine *Eleleus* Metam. 4, 15. *Nyctelinsque Eleleusque parens.* Saepe vero mulieres amoris aestu incensae Bacchis comparantur. Prop. 3, 6, 14. *Seu sequitur medias Maenas ut icta vias.* v. Bentl. ad Hor. Carm. 1, 25, 7.

Furiis actae] i. e. vexatae, agitatae. Met. 5, 13. *Quae te, germane, furentem Mens agit in facinus.* Valer. Flacc. 3, 393. *Hos variis mens ipsa modis agit.* ubi v. Burm.

V. 48. *Sub Idaeo colle*] i. e. in Idaeo colle. Art. Am. 1, 684. *Colle sub Idaeo vincere digna duas.* Met. 1, 689. *Arcadiae gelidis sub montibus, inquit, Naïas una fuit.* ubi v. Burm. Add. Duk. ad Flor. 1, 18. p. 171.

Tympana movent] Intelligit Gallos sacerdotes Cybeles, qui, sacro quasi furore correpti, tympana in Ida monte pulsabant, et hoc ritu Deam colebant. Ii, quod castrati et semiviri essent, argute ab Ovidio tanquam feminae describuntur. Sic etiam a Catullo. 62, 12 non *Galli*, sed *Gallae* vocantur. v. de hac re eruditissime disputantem Heins. ad h. l.

V. 50. *Numine contactas*] *Tangi* et *contingi* proprie dicuntur in furorem acti. Ep. 15, 140. *ut, quam furialis Erichtho Attigit.* Amor. 3, 1, 64. *Jam nunc contacto magnus in ore sonor.* ubi v. Heins.

Attonuere] *Attonare* est veluti tonitru stupefacere, unde frequentissimum participium *attonitus.* Metam. 3, 531. *Quis furor, anguigenae, proles Mavortia, vestras Attonuit mentes?* ubi v. Heins.

V. 51. *Cum se furor ille remisit*] i. e. cum furor desiit, cessavit. Saepe enim *remittere* in hac forma sine casu ponitur. Ep. 19, 23. *Aut ubi saevitiae paullum gravis unda remisit.* Liv. 2, 34. *ubi pestilentia remisisset.* ubi v. Drakenb.

V. 53. *Generis fato*] Venus, irata Soli, quod se Marti conjunctam prodidisset, omnem ejus sobolem inhonestis amoribus subjecit. v. Hygin. Fab. 148. Serv. ad. Virg. Ecl. 6, 47. et Interpp. ad h. l.

V. 56. *Dilexit*] Jer. Markland. ad Stat. Sylv. 1, 2, 9. eleganti conjectura emendat *delusit* vel *elusit*, ut Metam. 6, 103. *Maeonis elusam designat imagine tauri Europen.* Etiam simplex *ludere* frequens in hac re ap. Ovid. Art. Am. 1, 91. *Illic invenies, quod ames, quod ludere possis.* ubi v. Intpp.

V. 57. *Decepto*] Markland. ad Stat. Sylv. 2, 1, 97. capit pro decipienti. Frustra.

V. 58. *Onus*] Sexcentis locis dicitur foetus, quem mater utero gestat. Ep. 6, 120. *Dulce mihi gravidae fecerat auctor onus.* Ep. 11, 64. *Et positum est uteri crimen onusque mei.* v. Heins. ad Fast. 3, 718. et Intpp. ad Phaedr. 1, 18, 5. 3, 15, 5. *Crimen onusque* per figuram ἓν διὰ δυοῖν dicitur onus criminosum.

V. 60. *Fugit tectu*] Viri docti ad h. l. movent non movenda. *Fugit* est effugit, ut centies. Met. 9, 632. *patriam fugit ille, nefasque.* Horat. 2. Serm. 5, 25. *Si vafer unus et alter Insidiatorem praeroso fugerit hamo.* *Tecta curva* vocat labyrinthum propter ambages viarum.

V. 65. *Thesides*] i. e. Hippolytus, Thesei filius.

V. 67. *Quo vobis inita est etc.*] i. e. intrastis aedem Cereris Eleusiniae. Fast. 3, 266. *Unde nemus nullis illud initur equis.* Pro *Eleusis* rectius dicitur *Eleusin*, ut copiose probant Heins. ad h. l. et Tayl. ad Lys. c. Andocid. p. 105. *Cerealis* Eleusis vocatur, quod Cereri consecrata erat.

V. 68. *Gnosia humus*] Dicitur Creta a primaria insulae urbe, Gnoso vel Gnosso.

V. 72. *Verecundus rubor*] Similis locus Metam. 1, 484. *Pulcra verecundo suffunditur ora rubore.* Hor. Epod. 17, 22. *Verecundus color Reliquit ora.* ubi v. Bentl.

V. 74. *Phaedra judice*] i. e. me judice. v. Bentl. ad Hor. 2. Serm. 2, 53.

V. 75. *Comti*] *Comere* proprie de cura capillorum dicitur. Ep. 21, 88. *Comuntur nostrae matre jubente comae.* Tibull. 4, 2, 10. *Seu comsit, comtis est veneranda comis.*

V. 76 *Fine*] i. e. modo, mensura. Liv. 4, 54. *Quaesturam non honoris ipsius fine aestimabant.* ubi v. Drakenb. et hoc sensu saepe *finis* et *modus* junguntur.

V. 76. *Amat*] Poetae, non prosae orationis scriptores, dicunt pro solet, ut Graeci φιλεῖ. v. Lamb. ad Hor. Carm. 2, 3, 10.

V. 77. *Positi capilli*] *Ponere* et *componere* proprium verbum est de cultu capillorum. Amor. 1. 7, v. ult. *Pone recompositas in statione comas.* Propert. 1, 15, 5. *Et potes hesternos manibus componere crines.* v. Heins. ad Art. Am. 3, 151. et Broukh. ad Tib. 1, 10, 67.

V. 79. *Luctantia colla*] i. e. colla equi luctantis vel non sequentis frenum. Similiter Met. 4, 357. *Pugnacemque tenet, luctantiaque oscula carpit.*

V. 80. *In orbe*] h. e. gyro, quo equi exercentur. Met. 6, 225. *dum certum flectit in orbem Quadrupedes cursus.* v. Burm. ad h. l. et Markland. ad Stat. Sylv. 5, 2, 129.

V. 82. *Ora ferox etc.*] i. e. lacertus tuus oculos meos in se convertit, admiror robur tuum. Cic. Catil. 4, 1. *Video, in me omnium vestrum ora atque oculos esse conversos.*

V. 83. *Venabula cornea*] i. e. ex cornu arbore facta, ex qua plerumque conficiebantur hastae, jacula et alia belli instrumenta, unde *cornus* saepe pro hasta vel simili jaculo ponitur. Ep. 10, 107. *Non poterant figi praecordia ferrea cornu.* v. Intpp. ad Met. 8, 408. et Drakenb. ad Sil. Ital. 10, 122.

Venabula lato ferro] Sunt venabula lato ferro instructa. Eodem modo Virg. Aen. 1, 313. *lato hastilia ferro.* Aen. 3, 286. *Aere cavo clypeus.* Petron. 70. *culter Norico ferro.* De hac constructione v. Burm. ad Phaedr. 2, 3, 13.

V. 84. *Nostra juvat lumina quidquid agis*] Rectius Heusing. e MSS. legit: *Denique nostra juvas lumina, quidquid agis.*

V. 85. *Sylvis jugosis*] i. e. in quibus multa sunt montium juga. Amor. 1, 1, 9. *Quis probet in sylvis Cererem regnare jugosis?*

V. 86. *Non sum materia digna perire tua*] Versus foede corruptus, in quo restituendo frustra ingenium experti sunt interpretes eruditi. Withofius sic tentabat: *Non sum materia digna rigore tuo.* Verum corruptela non in *perire*, sed in *materia* haerere videtur. Explicare tentat Gesner. Thes. L. L.

V. 87. *Incinctae*] Compositum *incinctus* saepe ponitur pro simplici cinctus. Metam. 3, 162. *Margine gramineo patulos incinctus hiatus*, ubi v. Heins. Liv. 10, 7. *incinctum Gabino cultu*, ubi plura Drakenborch. Erat autem Diana alte infra pectus succincta, ut tanto commodius venationem exercere posset. Qui ejus habitus saepe in nummis et aliis antiquis monumentis expressus spectatur. v. Spanh. ad Callim. H. in Dian. 11.

V. 88. *Numeri* interdum dicuntur pro partibus et eorum numero, qui requiritur, ut perfecta res sit. Cic. de Div. 1, 13. *Omnes habet in se numeros veritatis.* Hinc ducitur formula: *Omnibus numeris absolutum esse.* v. Heins. ad Ep. 2. ex Pont. 9, 60. et Cl. Ernesti clav. Cic. v. Numerus.

V. 90. *Novat*] i. e. renovat, reficit, recreat. Cic. de Inv. 1, 17. *Animus*

defessus audiendo aut admiratione integratur aut risu novatur. Sic bene ex Mss. restituit Ernest. Valer. Flacc. 3, 423. *Vivaque nitentia lympha Membra novat.* v. Heins. ad h. l.

V. 91. *Arcus etc.*] Hoc proverbium ita extulit Phaedr. 3, 14, 10. *Cito rumpes arcum, semper si tensum habueris; At si laxaris, cum voles, erit utilis.*

Mollis] h. l. de nervo capiendum, ut apud Phaedr. *rumpere* de cornu.

V. 94. *Cephalus*] Mercurii et Herses filius, cujus amore capta est Aurora. v. Apollod. 3, 13, 3. Ov. Metam. 7, 700. et Meziriac. ad h. l.

V. 95. *Conciderant*] Vetus cod. habet *deciderant*, quod verbum praeferendum, ut exquisitius altero. Hor. 4. Carm. 7, 14. *Nos ubi decidimus, Quo pater Aeneas.* Id. 2. Ep. 1, 36. *Scriptor abhinc annos centum qui decidit.* v. Burm. ad h. l. et ad Claud. de bell. Gild. 44.

V. 96. *Sapiens*] Vocatur Aurora, quod sciebat, ex ardentis juvenis concubitu majorem voluptatem capi, quam ex frigidi senis Tithoni. Ep. 17, 275. *utetur, si qua puella sapit.* Metam. 10, 622. *et optari potes a sapiente puella.* Alibi talis puella per venustam litoten *non stulta* dicitur. v. Burm. ad h. l.

V. 97. *Cinyraque creatum*] h. e. Adonin, Cinyrae, Cypri regis et Myrrhae filiae, quam per incestum cognoverat, filium. v. Ov. Metam. 10, 298. et Meziriac. ad h. l.

V. 98. *Positos*] i. e. jacentes, humi procumbentes. Met. 13, 638. *positique tapetibus altis.* v. Burm. ad Art. Am. 1, 230.

Quaelibet herba] i. e. obvia, vilis. Art. Am. 1, 108. *Qualibet hirsutas fronde tegente comas.* ubi plura Burm.

V. 99. *Arsit etc.*] *Ardere* vel *uri in Atalanta*, elegantissime dicitur pro Atalantam vehementer amare. Am. 1, 9, 33. *Arsit in abducta Briseïde tristis Achilles.* Met. 7, 22. *Quid in hospite, regia virgo, Ureris?* v. Bentl. ad Hor. 1. Serm. 2, 48. et Drakenb. ad Liv. 30, 3. Eodem sensu etiam dicitur *ardere aliquem.* Virg. Ecl. 2, 1. *Formosum pastor Corydon ardebat Alexin.* Item *ardere aliquo.* Sil. Ital. 5, 15. *Verum ardens puero castumque exuta pudorem.* ubi v. Drakenb.

Oenides] est Meleager, de quo v. notata ad Ep. 3, 92.

Atalanta Maenalia] dicitur a Maenalo, Arcadiae monte. v. Meziriac. ad h. l. In *Maenalia Atalanta* negligitur Synaloephe, et ultima syllaba remanet longa, quod fit ante nomen proprium et in caesura Ep. 9, 87. *cupressifero Erymantho* et v. 181. *pulsa Aetolide Deïanira.* Verum ubi nulla est caesura, syllaba non elisa fit brevis, ut ap. Virg. Geo. 2. *flerunt Rhodopeïae arces*, et ap. eund. *Insulae Ionio in magno.* v. Manut. ad Cic. ad Div. 7, 6. et Voss. de art. Gramm. 2, 14. Ab hoc hiatu sibi caverunt aureae aetatis poetae, recentiores Christianae poëseos conditores non item.

V. 100. *Ferae spolium*] Sic vocat caput apri Calydonii, quem Meleager interfecerat. Fabulam vel historiam narrat Met. 8, 270.

V. 103. *Salebrosa*] i. e. aspera. v. Heins. ad h. l.

Movebunt] h. e. percellent. Liv. 6, 8. *nec vis tantum militum movebat Volscos.* ubi v. Drakenb.

V. 104. *Obliquo dente*] Sic Hor. 3. Carm. 22, 7. verri tribuit *obliquum ictum.* v. Burm. ad Virg. Ecl. 3, 8.

V. 105. *Isthmon*] Non Isthmos Corinthiacus intelligendus, sed Isthmos Chersonesi ad orientem Peloponnesi. In hac Chersoneso sita Troezene utrimque fluctibus maris feriebatur. v. Burm. ad h. l.

V. 107. *Colam*] Non solum *incolere urbem* vel *regionem* dicitur, sed et *colere.* Metam. 15, 642. *Quam colat, explorant, juvenis Phoebeius urbem.* v. Drakenb. ad Liv. 8, 16.

Pittheïa regna] Vocat Troezenem, quod ibi regnum tenuit Pittheus, Pelopis filius, Hippolyti abavus maternus. Nam Pittheus procreavit Aethram, quae Aegeo nupta peperit Theseum, Hippolyti patrem. v. Plut. Thes. p. 2. Paus. 2, 30. Theseus autem post alterum matrimonium cum Phaedra initum Hippolytum Troezenen ablegarat, ut apud Aethrae fratres educaretur. v. Diod. Sic. 4. p. 306 et ibi Wesseling.

V. 109. *Tempore*] Burm. ad Trist 2, 546. *tempore* exponit: diu, longo jam tempore. Sed potius cum Heinsio explicandum: commode, opportune. Rutil. Lup. 1. p. 4. *quod beneficium tempore et cupienti datur, gratum est.* Phaedr. 4, 5, 32. *Qui sint requires, apparebunt tempore.* ubi v. Intpp. Saepius praepositio *in* additur. Ter. Andr. 5, 6, 10. *in tempore ipso mihi advenis.* Liv. 8, 7. *Aderunt in tempore.* ubi v. Drakenb.

V. 111. *Nisi si*] Frequenter apud veteres junguntur, pro quo vulgo tantum *nisi* dicitur. Ter. Adelph. 4, 3, 3. *Nisi si me in illo credidisti esse hominum numero.* Liv. 6, 26. *Nisi si quando a vobis proque vobis arma acceperimus.* ubi v. Drakenb. Exempla plena manu dedit Heins. ad h. l.

V. 113. *Injuria venit*] *Venire* pro esse ponitur. Vim exemplorum collegit Heins. Tib. 1, 1, 64. *cum fletu nox vigilanda venit.* ubi v. Broukhus. *Venit nobis* pro venit ad nos elegans est constructio, de qua v. Burm. ad hanc Ep. v. 26.

V. 114. *Uterque sumus*] *Uterque*, ut collectivum, verbum plurale recipit. Sallust. Cat. 49. *uterque cum illo graves inimicitias exercebant.* Liv. Epit. 111. *Uterque, cum bellum molirentur, interemti sunt.* v. Drakenb. ad Liv. 36, 16.

V. 115. *Mei fratris*] i. e. Minotauri.

Clava trinodi] *Clavam trinodem* Herculi etiam tribuit Ov. Fast. 1, 575.

Soror] i. e. Ariadne. v. Ep. 10.

V. 117. *Securigeras puellas*] i. e. Amazonas, quae gerebant securim vel bipennem. Hor. 4. Carm. 4, 19. *Amazonia securi Dextras obarmet.* ubi v. Torrent. Senec. Agam. 217. *Non picta pharetras et securigera manu Peltata Amazon.* v. Drakenb. ad Sil. Ital. 16, 264. Amazonum habitum et cultum, qui multis etiam nummis expressus est, describit Curt. 6, 5.

V. 119. *Latus ense peregit*] i. e. transegit, confodit. Valer. Flacc. 1, 146. *Ardenti peragit Clanis Actora quercu.* ubi v. Intpp. Sil. Ital. 11, 365. *Externa peragi dextra.* Antiopen vero a Theseo interfectam esse, narrant etiam Seneca Hippol. 227. et Hygin. Fab. 241. v. Meziriac.

V. 121. *Tanto pignore*] sc. filio, qui mutui amoris pignus erat.

Taeda jugali] i. e. conjugali. v. notata ad Ep. 2, 57. Respicitur ad faces, quae novae nuptae in mariti domum deducendae praeferri solebant. v. Ep. 2. 120.

V. 124. *Tollendi*] i. e. educandi. Locutiones *tollere* et *suscipere liberos* fluxerunt ex moribus Graecorum et Romanorum, in quorum potestate erat, infantes ex se natos vel educare vel abjicere vel interficere. Itaque infantes recens in lucem editi in terra ponebantur invocata Ope, ut eos placidae terrae sinu excipiens adjuvaret. Ex quo more intelligendus Ov. Trist. 4, 3, 46. *Tactaque nascenti corpus haberet humus.* Sueton. Aug. 6. *Quod solum primum Divus Augustus nascens attigisset.* ubi v. Torr. Ner. 6. *paene ut natus radiis prius solis quam terra contingeretur.* Hinc *cadere* pro nasci ap. Stat. 1. Sylv. 3, 109. *tellure cadentem Excepti fovique sinu.* Positum sic in terra infantem pater, si educare vellet, tollebat, suscipiebat, si nollet, jacentem relinquebat, quem saepe servi alienae misericordiae exponebant additis crepundiis quibusdam et signis, unde postea agnosci posset. v. Lamb. ad Hor. 2. Serm. 5, 46.

V. 125. *Pulcherrime rerum*] i. e. hominum. Sic Ep. 9, 107. *maxime rerum.* Res etiam ad personas transfertur, ut πρᾶγμα apud Graecos. Trist. 4, 3, 59. *ita res tibi magna videbar.* Senec. Ep. 95. *homo, sacra res homini, jam per lusum et jocum occiditur.* v. Gron. Observ. 4, 15.

V. 126. *Nisu*] i. e. pariendi actu. Virg. Geo. 4, 199. *In Venerem solvunt aut partus nixibus edunt.* v. Heins. ad h. l. Sic *eniti* v. 57. de muliere parturiente.

V. 127. *Sic meriti*] *Mereri* et in bonam et in malam partem dicitur Terent. Heaut. 1, 1, 31. *Quid de te tantum meruisti?* i. e. quid adversus te ipse peccasti? Ejus compositum *commerere* fere semper usurpatur de eo, qui poena dignus est. Ter. Andr. 1, 1, 112. *Quid feci, quid commerui aut peccavi pater?* Contra *promerere* semper de eo, qui praemio dignus est. Idem Comicus Adelph. 4, 5, 47. *Ita velim me promerentem ames, dum vivas.* Praeterea h. l. observandus elegans usus particulae

sic. Virg. Aen. 3, 6. *recepto supplice Sic merito.* v. Interpp. ad Val. Flacc. 2, 145. et ad h. l.

V. 130. *Animi*] In plurali poetae de uno homine dicunt. Trist. 5, 1, 23. *animos ad publica carmina flexi.* Phaedr. 2, 2, 5. *Animosque ejusdem pulcra juvenis ceperat.* ubi v. Burmann.

V. 131. *Moritura*] *Mori* omnia dicunt poetae, quae deficiunt, esse desinunt. Ov. ex P. 3. Ep. 2, 27. *Tunc igitur meriti morietur gratia vestri.* v. Oudend. ad Lucan. 4, 78.

Aevum futurum] est, quod Saturni regnum excepit.

V. 134. *Fratre marita soror*] Rarior est haec constructio, sed similem interpretes observarunt in Horat. 3. Carm. 5, 5. *Milesne Crassi conjuge barbara Turpis maritus vixit? Marita* ponitur pro maritata.

V. 136. *Nodos*] *Nodus, vinculum, catena* saepe ad sanguinis vel animorum conjunctionem transferuntur. Cic. de Amic. 14. *Amabilissimum nodum amicitiae tollere.* v. Interpp. ad h. l.

V. 138. *Cognato nomine*] Pro cognatae nomine. Sic Ep. 14, 81. *cognata mors* pro morte cognatorum. Met. 15, 451. *cognata moenia* sunt moenia cognati populi. Apud Catull. 66, 98. *cognati cineres* sunt cineres cognatorum. Ex quibus exemplis patet, poëtis in primis hanc rationem in voce *cognatus* placuisse.

V. 139. *Viderit*] Per ellipsin particulae *si* eleganter dicitur pro *si quis viderit.* Cic. Phil. 13, 11. *Recesseris, undique omnes insequentur: manseris; haerebis.* Tibull. 1, 7, 43. *At mihi servandam credas; non saeva recuso Verbera.* Ov. Rem. Am. 745. *Gnosida fecisses in opem; sapienter amasset.* v. Gronov. Observ. 4, 20. p. 315. et Drak. ad Liv. 21, 10.

Amplexos] Passive capiendum a veteri conjugatione *amplecto.* v. Intpp. ad h. l.

V. 141. *Per tenebras*] i. e. cum tenebrae essent. Justin. 1, 8. *Cyrus reversus per noctem, saucios opprimit.* v. Drak. ad Liv. 5, 2.

Dabitur reseranda mariti] Perperam Burm. sic edidit, unum cod. secutus. Melior est lectio vulgata *duri reseranda mariti*, praesertim cum verbum *dabas* sequenti disticho occurrat.

V. 146. *In lecto meo*] Veterum more filii etiam pubertati proximi cum matre in eodem lecto cubare solebant, et mater hanc praecipue curam agebat, ne praedator corporis admitteretur. v. Phaedr. 3, 10, 22 et ibi Intpp.

V. 147. *Properataque foedera junge*] i. e. properanter foedera junge. *Foedera* non solum de legitimis nuptiis, sed etiam de quovis amore furtivo dicuntur. Cic. p. Coel. 14. *ideone ego pacem Pyrrhi diremi, ut tu morum turpissimorum quotidie foedera ferires?*

V. 148. *Qui mihi nunc saevit*] *Mihi* est in dolorem meum, in damnum meum. Hi dativi modo dolorem et damnum, modo honorem et praemium significant. v. Burm. ad Val. Flacc. 2, 145. Mox particula *sic* est optantis et voventis, ut Ep. 3, 135. *Sic omnes Peleus pater impleat annos.*

V. 149. *Supplex humilisque precari*] Markl. ad Stat. Sylv. 5, 1, 33. eleganti conjectura legit: *supplex humilisque vocari. Vocari* et *dici* saepe ponitur pro esse ut ap. Graecos καλεῖσθαι pro εἶναι.

V. 150. *Heu! ubi etc.*] Hic versus ita interpungendus videtur. *Heu! ubi nunc fastus altaque verba? jacent.* Formula *ubi nunc* est vel exprobrantis vel desiderantis bonum amissum. Tacit. Ann. 2, 2. *ubi illam gloriam trucidantium Crassum?* ubi v. Intpp. *Jacere* est contemni, parvi duci. Cic. Tusc. 1, 2. *jacent ea semper, quae improbantur.* p. Cluent. 2. *dominetur in concionibus, jaceat in judiciis.* v. Intpp ad Ov. Am. 2, 2, 30. et Ernest. clav. Cic. h. v.

V. 152. *Certa fui*] i. e. decrevi, constitui. Ep. 7, 7. *Certus es ire tamen.* Ep. 15, 99. *Si tam certus eras hinc ire.* Sic etiam dicunt *certum est*, pro decretum est. Cic. p. Rosc. Am. 11. *Certum est deliberatumque, omnia dicere.* v. Drak. ad Liv. 2, 45.

V. 155. *Depuduit*] i. e. pudor desiit, ut Am. 3, 11, 4. *Et quae depuduit ferre, tulisse pudet.* v. Intpp. ad h. l.

Pudor sua signa relinquit] Metaphora ducta est a re militari. Nam

milites victi et fugientes relinquebant signa h. e. aquilas et vexilla. Am. 2, 9, 3. *qui miles nunquam tua signa reliqui.* Fast. 4, 7.

V. 157. *Quo mihi?*] i. e. quid mihi prodest. Formulam explicuimus ad Ep. 2, 23.

Qui possidet aequora, Minos] h. e. qui imperium in mare exercet. Nam Minos secundus, distinguendus a priore, qui propter justitiam inferis judex datus est, late insularum imperium tenuit. v. Meurs. Cret. 3, 3. Casaub. ad Polyb. 1. p. 27 et Wessel. ad Diod. Sic. 4. p. 304.

V. 158. *Proavi*] *Proavus* est Jupiter, *avus* Sol, vel Apollo, ex quo nata Pasiphaë, mater Phaedrae. v. Mythologos.

Veniant fulmina] Tela in hostem missa proprie *venire* dicuntur. Virg. Aen. 7, 499. *Perque uterum sonitu, perque ilia venit harundo.* Ovid. Am. 2, 9, 37. *Huc tamquam jussae veniunt jam sponte sagittae.* Sil. Ital. 15, 376. *Ni telum adversos nati venisset in artus.* ubi v. Drakenb.

Torta] *Torqueri* dicuntur tela, quae in orbem rotata emittuntur. Virg. Aen. 5, 497. *In medios telum torsisti primus Achivos.*

V. 159. *Vallatus*] *Vallare* est in modum valli cingere. Fast. 3, 449. *ubi caeruleum vallabunt sidera coelum.* Sol semper depingitur coronam in capite gerens, cujus radii speciem telorum praebeant. v. Intpp. ad h. l.

V. 160. *Movet diem*] Sic Ep. 11, 46. *Denaque luciferos Luna movebat equos.* ubi vim verbi *movere* exemplis planam fecit Heins.

V. 161. *Priorum*] i. e. majorum. Fast. 3, 79. *ante omnes Martem coluere priores.* Ibid. 4, 196. *Magna nec ingeniis evestigata priorum.* v. Heins. ad Met. 15, 104 et Interpp. ad Val. Flacc. 4, 351.

V. 163. *Dotalis tellus*] Atqui Phaedra Cretam in dotem promittere non poterat: nam Minos regni haeredem habebat filium Deucalionem, qui etiam patri successit. Videtur igitur Ovidius non valde sollicitus fuisse de historiae veritate, vel omnia lenocinia, quibus Hippolytus corrumpi posset, Phaedrae tribuere voluisse. v. Burm. ad h. l.

V. 165. *Flecte truces*] Distichon adulterinum, ut bene judicant viri docti, quo ejecto omnia coëunt melius. Ineptum quoque est, quod dicitur: *potuit corrumpere taurum.* Nam Pasiphaë non corrupit taurum, sed fefellit.

V. 168. *Spernere*] Proprie est fastidire amantem. Am. 3, 6, 65. *Ne me sperne, precor, tantum, Trojana propago.* Tibull. 1, 4, 77. *Me, qui spernentur amantes, Consultent.* ubi v. Broukh.

V. 169. *Secreti saltus*] Sunt longissime remoti. Rem. Am. 591. *secretae laeserunt Phyllida sylvae.* Lucan. 2, 602. *Sylvarum secreta petit.*

Agilis Dea] i. e. Diana, quae tanta pedum pernicitate erat, ut feras cursu assequeretur. Cyllenius vel Mercurius *agilis* dicitur Met. 2, 720. v. Heins. ad Met. 2, 531.

V. 170. *Perdendas*] Heinsius legit *praedandas*, eamque conjecturam pluribus confirmat ad Claud. Fescenn. 11. Est sane *praedari* proprium in venatione verbum. Met. 12, 406. *Abas, praedator aprorum.* Verum tamen nihil mutandum. Nam *perdere* est interficere, ut Met. 1, 444. *Mille gravem telis, exhausta paene pharetra, Perdidit.* Met. 15, 477. *Perdite, si qua nocent.*

V. 174. *Arentem quae levet unda sitim*] Notanda constructio pro: undam, quae levet arentem sitim. Liv. 23, 10. *eum postulare, ut sibi dedatur.* v. Drakenb. ad 38, 9.

Arens] poëtice dicitur *sitis*, non quod sitis areat, sed quod, qui siti laborant, aridis sint faucibus. Tibull. 1, 4, 36. *Et canis arenti torreat arva siti.* Ov. Met. 11, 129. *Copia nulla famem relevat, sitis arida guttur Urit.* Poeta incertus Anthol. Lat. 3, 62. p. 504. *Illic inter aquas urit sitis arida fauces.* v. Interpp. ad h. l.

Epist. V.

V. 2. *Mycenaea*] sive Graeca. Non est epistola scripta ab hoste.

Littera facta] i. e. scripta. Plaut. Asin. 4, 1, 22. *Ne illi sit cera, ubi facere possit litteras.* Cic. Acad. 4, 2. *ne litteram quidem ullam facimus, nisi forensem.* Justin. 27, 2. *inde ad Antiochum facit litteras.* v. Burm. ad h. l.

V. 3. *Pegasis*] i. e. πηγῆς, vel fontis, filia. Fingitur enim Oenone nympha esse, et filia Cebrenis, fluminis Phrygiae. Ipsa ait v. 10. *Edita de magno flumine nympha fui.* v. Interpp. ad h. l. *Cebrenis* nomen de conjectura divinitus restituit Heinsius Sabino Ep. 3, 89. qua huic epistolae respondetur.

V. 4. *Laesa*] *Laedere* amantem proprie dicitur, qui amorem violat, fidem rumpit. Rem. Am. 458. *Si non Oebalia pellice laesa foret.* v. Broukh. ad Tibull. 1, 10, 1.

De te — meo] De vi vocis *meus* diximus ad Ep. 1, 1.

V. 9. *Nondum tantus eras*] i. e. nondum agnitus eras Priami filius; nam Paris expositus erat a patre et inter pastores educatus; sed postea Priami filius inventus. v. Apollod. 3, 3. Hygin. Fab. 91. et Meziriac. ad h. l.

V. 12. *Nubere — tuli*] i. e. non recusavi nubere. Metam. 11, 447. *Nec tulit Halcyonen in partem adhibere pericli.* 13, 460. *Scilicet aut ulli servire Polyxena ferrem.* ubi v. Heins. Suet. Tib. 34. *interpellari se ultra non tulit.* ubi v. Interpp.

V. 15. *Super stramen foenoque jacentibus*] Notanda est variatio constructionis in eodem verbo. Sallust. Jug. 7. *neque per vim, neque insidiis opprimi posse.* Liv. 5, 19. *Dux ad excidium urbis et servandae patriae.* 7, 32. *factionibus et per coitiones.* Apul. Met. 2. p. 23. *imis Tartari et in vetustum chaos submergere.* v. Cort. ad Sall. Cat. 33. et Burm. ad Suet. Vesp. 19.

V. 16. *Defensa*] *Defendere* est arcere, avertere, prohibere. Virg. Ecl. 7, 47. *Solstitium pecori defendite.* Hor. 1. Carm. 7, 3. *Defendit aestatem capellis.* ubi v. Lamb. Rutil. Lup. 2. p. 105. *palliolo frigus a capite defendens.* De hoc verbo abunde Heins. ad h. l. et ad Claud. laud. Stil. 3, 171.

V. 19. *Maculae*] Quid in re venatica significent, non convenit inter viros eruditos. Nic. Heins. Advers. 1, 3. p. 391. intelligit pinnas vel plumas diversi coloris, quae lineae inserebantur et formidinem faciebant. Burm. ad Nemes. Cyneg. 302. interpretatur foramina vel aperturas in retibus inter nodos. (Belg. de Maezen.) Probabilior est interpretatio Cl. Oudendorpii, qui *maculas* accipit pro grandioribus nodis inter foramina et oculos positis, ne lina tenuia ferarum impetu rumpantur. Sic Varro de R. R. 3, 11. loco, ubi anates aluntur, praetendi jubet *rete grandibus maculis, ne eo involare aquila possit, neque ex eo evolare anas.* Varronem secutus Colum. de R. R. 8, 15. *locus clathris superpositis, vel grandi macula retibus contegitur, ne aut evolandi sit potestas domesticis avibus, aut aquilis vel accipitribus involandi.* Ap. Cic. Verr. 5, 11. occurrit *reticulum minutis maculis.* Quem locum citans Non. Marcell. p. 315. *maculas* explicat *in retibus plagas.* Minus bene. Nam ibi *maculae* dicuntur, quas patria lingua vocamus moesjes. Nodi autem retium foraminibus interpositi ex eo haud dubie nomen acceperunt, quod alio fuerint colore, atque ipsa lina. Nam omnia versicoloria maculosa dicuntur.

V. 20. *Citos canes*] Recte viri docti emendant *citas canes.* Nam veteres, ubi de venatu agitur, foemininum genus in voce *canis* praetulerunt. v. Heins, ad Met. 3, 140. et Ernest. ad Callim. H. in Dian. 17.

Juga longa] i. e. longe extenta. Propert. 3, 12, 14. *Sectatur patrios per juga longa canes.* Pers. 1, 95. *Sic costam longo subduximus Apennino.* v. Heins. ad h. l. et Broukh. ad Tib. 1, 4, 18.

V. 21. *Incisae — fagi*] De antiquissimo more, quo amantes amicarum nomina corticibus arborum inscribebant, v. Interpp. ad Propert. 1, 18, 22.

V. 24. *Recta*] Bene Heusingerus e Mss. restituit: *Surgite rite meos.*

V. 25. *Consita*] i. e. plantata. Statius Comicus ap. Cic. de Sen. 7. *Serit arbores, quae alteri saeculo prosint.* Horat. 3. Carm. 10, 6. *Nemus Inter pulcra satum tecta.* ubi v. Bentl. Sil. Ital. 10, 503. *ilex proavorum consita saeclo.* ubi plena manu exempla dederunt Interpp.

V. 27. *Margine ripae*] Hac voces saepe conjunguntur, ut a Statio Sylv. 2, 3, 17. *et niveae posuit se margine ripae.* ubi v. Markl. Bur-

mannus legere malit: *quae consita margine rivi*, quia modo praecessit vox *ripa*.

V. 28. *Rugoso cortice*] i. e. qui rugas duxit prae vetustate. Plin. H. N. 16, 31. *Omnibus arboribus cortex in senecta rugosior.*

V. 29. *Spirare*] pro vivere, ut *spiritus* pro vita. Exempla ubique reperiuntur.

V. 30. *Ad fontem Xanthi*] Frequens poetis loquendi ratio, cum indicare volunt, aliquid nec verisimile esse, nec consistere posse. Virg. Aen. 11, 405. *Amnis et Adriacas retro fugit Aufidus undas.* ubi v. Serv. Ov. Trist. 1, 7, 1. *In caput alta suum labentur ab aequore retro Flumina* etc. v. Erasm. Adagg. p. 719. et Drak. ad Sil. Ital. 5, 253.

V. 31. *Lymphae*] Et *lympha* et *nympha* pro aqua ponitur; verum ubi poetae aquis actionem quandam humanam tribuunt, *nympham* potius, quam *lympham*, dicunt. Itaque Heins. e Mss. emendat *nymphae*. Praeter Heins. ad h. l. v. Bentl. ad Hor. 3. Carm. 13, 16. et Markl. ad Stat. Sylv. 1, 3, 64.

V. 32. *Sustinet*] i. e. audet, animum inducit. Auctor Eleg. ad Liv. 135. *Tene ego sustineo positum scelerata videre?* Cic. Verr. 1, 4. *Sustinebunt tales viri tot hominibus honestissimis non credidisse.* Ov. Amor. 1, 14, 53. *Sustinet antiquos gremio spectare capillos.* ubi v. Heins. Plura Interpp. ad Petron. 116. et Markl. ad Stat. Sylv. 5, 3, 8.

V. 33. *Dicere*] Saepe est praedicere, vaticinari. Tibull. 1, 6, 55. *Et tibi nescio quas dixit, mea Delia, poenas.* Anthol. Lat. 1, 100. p. 82. *Pro cujus cura consultus dixit Apollo.* Hinc *dictio* et *dictum* ponitur pro Apollinis responso. Liv. 8, 24. *Accito ab Tarentinis in Italiam data dictio erat.* v. Heins. ad h. l. et Drak. ad Sil. Ital. 13, 819. et ad Liv. l. l.

V. 34. *Mutati etc.*] *Hiems* vel *tempestas* de calamitate dicitur. *Mutatus amor* est aliorsum versus, metaphora sumta a vento, qui, cum secundus fuisset, mutatus et adversus est. Vulgo *amoris hiemem* de amoris frigore accipiunt, quod nullo modo patitur vox *mutati*.

V. 35. *Sumptisque decentior armis*] *Sumere arma* est induere. Metam. 7, 482. *Arma juves, oro, pro gnato sumta.* At *sumere ferrum* est bellum suscipere. v. Ep. 16, 371. et Drak. ad Liv. 40, 10. Sensus autem est: Minerva pulchrior est armis induta, quam nuda.

V. 41. *Classe peracta*] i. e. perfecta, absoluta. Suet. Calig. 21. *quorum operum a successore ejus alterum peractum.* Valer. Flacc. 2, 96. *peracta aegide.* v. Gronov. Diatr. Stat. 15. p. 83. et Burm. ad h. l.

V. 42. *Ceratas rates*] Veteres navium rimas cera implebant, unde saepe a poetis *naves ceratae* dicuntur, ut Rem. Am. 447. *Non satis una tenet ceratas anchora puppes.* *Cera* autem notat picem cera mixtam. v. Scheff. de Milit. Navali 1, 5.

V. 43. *Parce negare*] i. e. noli negare, cave neges. Virg. Ecl. 3, 94. *Parcite, oves, nimium procedere.* Ov. Fast. 6, 621. *Parcite, matronae, vetitas attingere vestes.* Sic *parcere* centies occurrit apud poetas.

V. 45. *Nostros flentis ocellos*] i. e. mei flentis ocellos. Hoc construendi genus e graeco fonte fluxit, et familiare est optimis scriptoribus. Cic. ad Div. 15, 13. *me consulem tuum studium adolescentis perspexisse.* Rut. Lup. 1. p. 23. *Itaque unius opera mea non concitatum bellum non necessarium scitis.* Sen. Ep. 92. *meum in his propositum bonum est, servantis in quaque re rationi convenientem modum.* Plura exempla habent Heins. ad h. l. et Drakenb. ad Liv. 7, 40. e Graecis scriptoribus Valckenar. ad Eur. Phoen. 1518.

V. 50. *Ille secundus erat*] Burm. explicat: Ventus secundus erat mihi amanti, quia te retinebat. Quem a vero sensu aberrasse satis ostendunt verba: *Riserunt comites.* Sensus hic est: Cum apud me manendi caussas quaereres, fingebas, ventum, qui secundus erat, tibi adversum esse, atque impedire, quo minus discedere posses.

V. 53. *Rigido malo*] i. e. duro, firmo. Sic Virg. Ecl. 6, 28. *quercus rigidae.* Ov. Fast. 3, 529. *rigidae columnae.* ubi v. Burm.

V. 54. *Eruta*] Translatio ducta est ex agricultura; nam proprie fossor dicitur *eruere terram.* Am. 3, 8, 43. *Non freta demissi verrebant eruta remi.*

V. 55. *Prosequor etc.*] Ovidium imitatus est Quinctil. Decl. 12. p. 246. *Inde fugientia vela longo visu prosecuti sumus.*

V. 56. *Venias*] i. e. redeas. *Venire* saepe ponitur pro redire. Ep. 13, 101. *Cum venies, remoque move veloque carinam.* Liv. 38, 44. *ne consule inimico Romam veniret.* ubi v. Drakenb.

V. 57. *Nereidas*] i. e. nymphas marinas, Nerei et Doridis filias, de quibus v. Cl. Valckenar. Anim. ad Ammon. p. 262.

Virides] *Virides* vel *coeruleae* a maris colore dicuntur.

V. 59. *Ergo*] Haec particula stomachantis est, vel conquerentis. Amor. 2, 7, 1. *Ergo ego sufficiam reus in nova crimina semper?* Propert. 3, 5, 21. *Ergo sollicitae tu caussa, pecunia, vitae es.* ubi v. Broukh. Ceterum hic versus de mendo suspectus est viris eruditis. Nam ultima syllaba in *ergo*, quae ab Ovidio aliisque aureae aetatis poetis semper producitur vel eliditur, h. l. corripitur. v. Broukh. l. c. et Intpp. ad Trist. 1, 1, 87.

Alii] est dativus commodi, ut grammatici loquuntur.

V. 60. *Blanda fui*] i. e. precibus delinivi Deas marinas. Heinsius non necessaria conjectura legit: *Et Diis pro dira pellice blanda fui*, nec bene eam confirmat ex Fast. 5, 300. *Et pro delictis hostia blanda fuit.* ubi non jungitur *blanda pro delictis*, sed *hostia pro delictis.*

V. 62. *Adspicit — moles*] h. e. obversa est. Saepe rebus inanimatis visus tribuitur. Ep. 6, 69. *In latus omne patens turris circumspicit undas.* Lucan. de Apennino 2, 429. *Gallica rura videt, devexasque adspicit Alpes.* ubi v. Oudendorp. Sic apud Geographos frequens locutio est: *locus spectat orientem* vel *in orientem*, pro eo vergit. v. Drak. ad Liv. 25, 9.

Moles nativa] est naturalis, quae ipsa natura provenit, cui opponitur *manu* vel opera humana *facta*, *manu adjuta.* Fast. 5, 149. *Est moles nativa: loco res nomina fecit.* Justin. 24, 6. *Civitatem non manu facta, sed naturalia praesidia defendunt.* Curt. 3, 4. *munimenta, quae manu ponimus, naturali situ imitante.* Has locutiones egregie explicat Drackenb. ad Liv. 2, 5.

V. 63. *Cognovi prima*] Et poetae et prosae orationis scriptores adjectivo *primus* utuntur pro adverbio *primum* vel *primo.* Virg. Aen. 1, 244. *Vidimus obscuris primam sub vallibus urbem*, i. e. primum vidimus. Liv. 4, 20. *Romuli spolia, quae prima opima appellata.* Sil. Ital. 2, 235. *Stat primam urbem — invadere.* ubi v. Intpp. Plura exempla sunt ap. Gronov. Observ. 1, 7. et Heins. ad Virg. Aen. 6, 811.

V. 64. *Impetus*] i. e. subitum consilium. Rem. Am. 10. *Et quod nunc ratio est, impetus ante fuit.* Suet. Oth. 9. *impetum cepit moriendi.* v. Is. Casaub. ad Theophr. Char. 2. p. 108.

V. 66. *Cultus*] i. e. vestitus, amictus. Metam. 13, 163. *Dissimulat cultu natum.*

V. 67. *Terrasque cita ratis attigit aura*] Ne Latinum quidem est, quod Heins. reponit: *Terrasque cita ratis appulit aura.* Nam dicendum fuisset: *Terrae cita aura appulit ratem. Attingere locum* pro eo pervenire locutio est prosae etiam orationis scriptoribus usitata. Nep. Dion. 5. *post diem tertium, quam Siciliam attigerat.* Suet. Tib. 60. *in paucis diebus, quam Capreas attigit. Tangere litora* Ovidius dixit Ep. 6, 1.

V. 69. *Non satis id fuerat*] Per interrogationem efferendum, ut fecit Heusing. ad h. l. *Fuerat* ponitur pro *erat*, ut Ep. 21, 125. *At fuerat melius.* v. Heusing. ad Cic. de Off. 3, 21.

Quid enim furiosa morabar?] Hic locus obscurior visus est Heinsio, nec a Burmanno recte explicatus. Sensus hic est: Cur me non subduxi, ut Helenam ne viderem in gremio tuo haerentem.

Quid enim?] In acrioribus interrogationibus usurpatur. Liv. 40, 9. *Quid enim? negat se cum multitudine venisse ad januam meam.* ubi v. Drakenb. Adde Graev. ad Cic. Verr. 2, 23.

V. 70. *Turpis*] Non ad formam, sed ad mores, refertur.

V. 71. *Sinus*] i. e. vestes. Ep. 1, 45. *metu micuere sinus.* Ep. 13, 36. *Indue regales, Laodamia, sinus.* v. Burm. ad Petron. 122.

V. 72. *Rigente*] i. e. duro. Similis locus Amor. 2, 6, 4. *Et rigido teneras ungue notate genas.*

V. 73. *Sacram — Iden*] *Sacra* dicitur, quod Cybeles sacra in hoc monte celebrabantur, quae inde etiam *matris Idaeae* nomen habet. v. Fast. 4, 181. *Ide* graeca forma est pro *Ida*, quae placuit poetis. v. Heins. ad Ep. 13, 53.

V. 75. *Deserta conjuge*] i. e. deserta a conjuge. Saepe illa praepositio omittitur. Ep. 13, 161. *Deseror, amissis regno patriaque domoque, Conjuge.* Propert. 2, 7, 17. *Ille etiam abrepta desertus conjuge Achilles.* Liv. 35, 30. *ubi suis se desertos viderunt.* Lucan. 1, 695. *Lapso jacuit deserta furore.* v. Intpp. ad Phaedr. 1, 21, 3. et Drak. ad Liv. 6, 11. Miscell. Observ. Nov. T. 10. p. 200.

V. 77. *Nunc tibi conveniunt*] i. e. moribus et animo conjunctae sunt. *Convenire* proprium in hac re verbum. Rem. Am. 312. *Conveniens animo non erat illa meo.* Ibid. 470. *bene convenit illis.* Suet. Tib. 7. *Uxorem bene convenientem dimittere coactus est.* v. Heins. ad h. l. et Broukh. ad Prop. 3, 23, 28.

Aperta aequora] i. e. quae late patent, ut Metam. 11, 397. et passim alibi.

V. 78. *Legitimos toros*] i. e. legitimos viros. *Torus* poetice dicitur et de viro et de uxore. Ep. 19, 100. *Ducar Abydeno Thressa puella toro*, i. e. marito. ubi v. Heins. Sic *lectus* pro uxore ap. Prop. 2, 5, 15. *Felix Admeti conjux, et lectus Ulyssis.*

V. 80. *Oenone*] Ponitur pro ego cum efficacia. Ep. 6, 8, *Hypsipyle missa digna salute fui.* v. Gronov. ad Sen. Thyest. 178. et Drak. ad Sil. Ital. 2, 29.

V. 81. *Miror opes*] *Mirari* interdum est, ita suspicere aliquid et magnum putare, ut ejus particeps fieri cupias. Horat. 1. Carm. 4, 19. *Nec tenerum Lycidam mirabere.* Virg. Geo. 3, 49. *Olympiacae miratus praemia palmae.* v. Gesn. ad Hor. 1. Carm. 6, 1 et 9.

V. 83. *Non tamen*] Ex sensu supplendum: adeo vilis sum.

Socer esse recuset] Graeca constructio pro socerum essse recuset. Propert. 2, 7, 45. *Visura et quamvis nunquam speraret Ulixem.* Virg. *Sensit medios delapsus in hostes.* Sed pleni sunt exemplorum poetae. v. Sanct. Min. 3, 7. et Heins. ad Met. 11, 786. 13, 135.

V. 85. *Matrona*] i. e. uxor, ut Metam. 2, 466. *magni matrona Tonantis.*

V. 89. *Denique*] i. e. ut paucis dicam. v. Ep. 20, 65. et Duk. ad Flor. 1, 16. p. 134.

V. 91. *Infestis armis*] Sic etiam prosae orationis scriptores dicunt: *infestis hastis, infestis cuspidibus, infestis signis.* Exempla sunt ap. Bentl. ad Hor. 3. Carm. 8, 19. et Drak. ad Liv. 2, 46.

V. 93. *Si*] Pro *an* ponitur. Ep. 6, 35. *iterum, si vivat Iason, Quaerimus.* Caes. B. G. 1, 8. *Saepius noctu, si perrumpere possent, conati.* Sall. Jug. 48. *tentans, si paterentur, opportunitates loci.* ubi v. Cort. Excurs. 4.

V. 94. *Polydamanta*] Graece dicitur *Πουλυδάμας*. Sed Latinum *Polydamas* priori syllaba longa formatum est ex Aeolico *Πωλύδαμας*. v. Drak. ad Sil. Ital. 12, 212.

V. 97. *Rudimentum*] Proprie est, primum rudium tironum in armis exercitium, deinde cujusvis rei, quam aggredimur, initium. Liv. 1, 3. *inter rudimentum primum puerilis regni.* ubi v. Drak. Justin. 7, 5. *prima pueritiae rudimenta in domo Epaminondae deposuit.*

V. 98. *Arma movere*] Est bellum inferre. Lucan. 7, 364. *Quidquid — Sub Noton et Borean hominum sumus, arma movemus.* Sil. Ital. 2, 46. *Si taedet coepti, culpandave movimus arma.* Sic *certamina* movere, saepe occurrit ap. Livium.

V. 101. *Minor Atrides*] Dicitur Menelaus, quod post Agamemnonem fratrem natus est.

Temerati] *Temerare* primum est aliquid temere moliri vel agere. Val. Flacc. 1, 627, *Hoc erat illicitas temerare rudentibus undas.* v. Intpp. ad Sil. Ital. 2, 472. et Broukh. ad Prop. 2, 15, 21. Deinde est contaminare, stupro

polluere, corrumpere. Amor. 1, 8, 19. *Haec sibi proposuit thalamos temerare pudicos.* Ep. 9, 49. ipsa puella, cui vitium offertur, *temerari* dicitur.

V. 102. *Externo amore*] i. e. amore viri externi. Tib. 1, 10, 57. *Semper sint externa tuo vestigia lecto.* ubi v. Broukh.

V. 104. *Semel*] Eleganter usurpatur de iis, quae iterum fieri nequeunt. Belgae dicunt: eens voor al. Cic. de Off. 3, 15. *cum postulasset, ut sibi fundus semel indicaretur.* Lucan. 3, 296. *Acciperet felix ne non semel omnia Caesar.* Flor. 2, 12. *Perses semel victam esse Macedoniam non putabat ex gentis dignitate.* v. Passerat. ad Prop. 4. p. 693. et Bentl. ad Hor. 2. Serm. 8, 24.

V. 105. *Ardet*] Est objectio.

V. 107. *Certo marito*] *Certus maritus* est constans, fidelis. Sic *certus amor.* Am. 3, 6, 30. *certus paterfamilias* Cic. p. Quinct. 3. ubi v. Graev. Flor. 4, 12. p. 822. *certa mox fides et aeterna pax.* ubi plura Duker. Contra *incertae nuptiae* ap. Terent. Andr. 5, 1, 11. sunt parum firmae, non diu duraturae.

V. 110. *Mobilibus ventis*] Hic locus male interpungitur. Nam *mobilibus ventis* non jungendum est cum *arida facta*, sed cum *volant. Volare* omnia dicuntur, quae celeriter huc illuc feruntur. Exempla sunt ap. Heins. ad h. l.

V. 111. *Quam summa — arista*] Non contemnenda est veterum Edd. lectio: *quam in summa — arista.* Nam saepe praepositio, praesertim in locutionibus *minus quam*, *magis quam*, *plus quam* iteratur. Phaedr. 3, 4, 1. *Plus esse in uno saepe, quam in turba boni.* Liv. 37, 1. *Quibus plus in misericordia senatus, quam in caussa, spei esset.* v. Drak. ad Liv. 4, 58.

V. 112. *Solibus*] *Soles* poetae dicunt numero plurali pro vehementi solis calore. Metam. 1, 434. *Ergo ubi diluvio tellus lutulenta recenti Solibus aetheriis almoque recanduit aestu.* Hor. 1. Ep. 20, 24. *Corporis exigui, praecanum, solibus aptum.* v. Broukh. ad Tib. 1, 4, 2. *Solem* numero singulari dicunt prosae orationis scriptores. Suet. Caes. 57. *capite detecto, seu sol, seu imber esset.*

V. 113. *Recolo*] i. e. in memoriam revoco, animo repeto. Cic. Phil. 13, 20. *quae si tecum ipse recolis, aequiore animo et majore consolatione moriere.* v. Heins. ad h. l.

Germana canebat] *Canere* proprie dicuntur vates et quicumque futura praedicunt. Nepos Attic. 16. *quae nunc usu veniunt, cecinit ut vates.* Cic. Catil. 3, 8. *ut haec, quae nunc fiunt, canere dii immortales viderentur.* Justin. 43, 1. *quae assidue divino spiritu impleta, velut per furorem, futura praecinebat.* ubi plura Graevius. v. Gronov. Obss. 3, 24. *Germanam* intellige Cassandram, Priami filiam.

V. 114. *Diffusis comis*] i. e. sparsis, disjectis. Ep. 10, 47. *Aut ego diffusis erravi sola capillis.* Hic habitus semper tribuitur vaticinantibus, quod sacro furore correpti putabantur. v. Virg. Aen. 6, 48. et ibi LaCerdam.

V. 115. *Quid facis?*] Increpandi formula. A. Am. 1, 691. *Quid facis, Aeacida? non sunt tua munera lanae.*

Semina mandare terrae] est seminare. Virg. Ecl. 5, 36. *Grandia saepe quibus mandavimus hordea sulcis.* ubi v. Serv. Similiter dicitur *credere* et *committere semina terris.* Virg. Geo. 1, 223. *Debita quam sulcis committas semina.* Tibull. 2, 7, 2. *Spes sulcis credit aratis Semina.* ubi v. Broukh. Saepe ager ut debitor spectatur, unde, si fertilis est, *respondere*, *fidelis esse*, *credita reddere* dicitur; contra, si sterilis, *fallere*, *eludere*, *decipere*, *mentiri*, *perfidus*, *ingratus esse.* Quarum locutionum elegantiam illustrarunt Heins. ad Ov. 2. ex Pont. 9, 29. et Drak. ad Sil. Ital. 7, 160. 14, 23.

V. 116. *Littus arare*] Proverbiali locutione dicitur de irrito labore. Trist. 5, 4, 48. *Nec sinet ille tuos litus arare boves.* Quod ita expressit Ep. 17, 139. *Quid bibulum curvo proscindere litus aratro?* v. Heins. ad h. l. Ceterum ubique scribendum esse *bubus* prima syllaba producta, docent Heins. ad h. l. et Broukh. ad Propert. 4, 1, 8.

V. 117. *Graja juvenca venit*] Observandus est versus reciprocus, ubi primum hexametri hemistichium recurrit in fine pentametri. Tales versus

aliis etiam locis ap. Ovidium reperiuntur, ut Ep. 10, 10. Am. 1, 9 init. 3, 2, 27. Et haec ratio ita placuit posterioris aetatis poetis, praesertim scholasticis, ut tota carmina ex reciprocis versibus consarcinarent. Multa exempla sunt in Anthol. Lat. v. c. 3, 105. p. 558. ubi v. Editor.

V. 118. *Io!*] Particula est non modo laetantis et triumphantis, sed etiam exclamantis in re minime laeta. Met. 3, 713. *io, geminae, clamavit, adeste, sorores.* ubi v. Heins.

V. 119. *Obscoenam puppim*] *Obscoenus* est detestandus, mali ominis. v. Fest. in v. Sic in auguriis *aves obscoenae* proprie dicuntur, quae infausta portendunt. v. Virg. Aen. 12, 876. et ibi Serv. *Omina obscoena* dixit Cic. p. Dom. 55. *Obscoena puppis* h. l. est, quae homines obscoenos vehit.

V. 121. *In cursu esse* dicitur res vel persona, quae in medio vigore, medio actu est. Fast. 6, 362. *Spes erat in cursu; nunc lare pulsa suo est.* Cic. de Amic. 22. *repente in medio cursu amicitias, exorta aliqua offensione, dirumpimus.* v. Heins. ad h. l.

V. 123. *Vates vera*] i. e. veridica. Plaut. Mil. 4, 8, 56. *perspexi te verum.* Stat. Achill. 2, 7. *Calchantem verum* vocat. v. Burm. ad h. l. Similiter vates, qui non fallunt, a Graecis *ἀληθεῖς* dicuntur. v. Hemsterh. ad Tim. lex. Plat. p. 82.

V. 126. *Socios Deos*] i. e. Deos matrimonii praesides. Nam matrimonium a poetis *sociale foedus* vocari, vidimus Ep. 4, 17. Amor. 2, 11, 7. *Ecce, fugit notumque torum sociosque penates.* v. Heins. ad h. l. et Drak. ad Liv. 3, 18.

V. 128. *Nescio quis Theseus*] Oenone, ut mulier peregrina, fingit, se non satis nosse Theseum. Dicitur autem Theseus Helenam rapuisse et Aphidnas in pagum Atticae regionis detulisse. v. Plut. Thes. 15. Hygin. Fab. 79. et Meziriac. ad h. l.

V. 131. *Nomine*] i. e. praetextu, falsa specie. Virg. Aen. 4, 127. *hoc praetexit nomine culpam.* Sic *ὄνομα* etiam Graecis. v. Dorvill. ad Charit. p. 82.

V. 134. *Legibus — tuis*] Quasi ex formula dicitur pro exemplo tuo. Amor. 1, 8, 70. *Captos legibus ure suis.* Valer. Flacc. 4, 753. *quam lege, quod occidit, ultus Ipse sua.* v. Heins. ad h. l.

V. 135. *Satyri celeres*] *Leves Satyri* dicuntur Art. 1, 542. quoniam agili cursu per montes et rupes feruntur.

V. 137. *Pinea corona*] Semper a poetis tribuitur Satyris, Pani, Faunis. v. Met. 1, 699. 14, 638.

Acuta pinus] dicitur a forma foliorum.

V. 138. *Tumet*] i. e. celsa, ardua est. Lucan. 4, 11. *Colle tumet modico. Tumidos montes* dixit Ov. Amor. 2, 16, 52. et vox *tumulus* a tumendo nomen habet. v. Intpp. ad h. l. et Ernest. ad Tac. Ann. 2, 23.

V. 139. *Fide conspicuus*] i. e. cithara insignis.

Fide] Fides aliquando singulari numero de instrumento musico dicitur. Fast. 5, 104. *Inventor curvae, furibus apte, fidis.* Met. 11, 167. *Instructamque fidem gemmis.* Describitur vero Apollo.

V. 143. *Pretium*] i. e. praemium, mercedem. Liv. 24, 15. *capita hostium pretia libertatis facta.* Phaedr. 1, 8, 1. *Qui pretium meriti ab improbis desiderat.* v. Gron. Obss. 2, 25. et Heins. ad Ep. 6, 146.

V. 145. *Medicas artes*] Metam. 2, 618. de Apolline: *medicas exercet inaniter artes. Artem medendi* dixit Met. 8, 526. *artem medentum* Met. 15, 629. v. Intpp. ad Phaedr. 1, 14, 11.

V. 147. *Potens*] Proprium est epitheton herbarum medicarum. Virg. Aen. 7, 19. *Dea saeva potentibus herbis Induerat Circe in vultus ac terga ferarum.* Seren. Sammon. 18. *Pulegiumve potens una super aure locabis.* ubi v. Intpp.

Medenti] i. e. medico. Ep. 21, 14. *Adjuvor et nulla fessa medentis ope.* v. Heins. ad h. l.

V. 150. *Prudens artis*] i. e. peritus. Nep. Con. 1. *prudens rei militaris.* Sic *prudentia* pro peritia. Phaedr. 1, 14, 11. *Non artis ulla medicae prudentia.*

V. 151. *Vaccas Pheraeas*] i. e. Admeti, regis Pheraeorum. De hac fabula v. scriptores, quos laudant Heins. ad h. l., Broukh. ad Tib. 2, 3, 11.

V. 152. *A nostro saucius igne fuit*] Burm. *a* capit pro *post*, hoc sensu: *Phoebus, postquam me amavit, etiam Alcestida deinde amavit.* Perperam. *Saucius ab igne* dicitur, ut in Rem. Amor. 5. *Non ego Tydides, a quo tua saucia mater.*

V. 153. *Nec Deus*] Supplendum *potest.* Saepe enim veteres, ubi duae diversae personae duplicem flexionem requirunt, brevitatis caussa unam modo ponere solent. Phaedr. 3, 12. *Nec tibi prodesse, nec mihi quidquam potes.* ubi post *prodesse* supplendum *possum.*

V. 154. *Auxilium*] Proprie dicitur de medicis. Celsus praef. 1, 1. *si quidem etiam imperitissimae gentes herbas aliaque promta in auxilium vulnerum morborumque noverunt.* Stat. Sylv. 5, 1, 158. *Nil ars operosa medentum Auxiliata malis.* ubi v. Markland.

V. 155. *Et potes*] Elegans formula est *et potes* in precibus et obtestationibus. Virg. Aen. 10, 632. *et in melius tua, qui potes, orsa reflectas.* Etiam poetae quasi e formula precationibus inserere solent *namque potes*, vel *quod potes.* Hor. Epod. 17, 45. *Et tu (potes nam) solve me dementia.* v. Heins. ad Val. Flacc. 1, 12.

Epist. VI.

V. 2. *Auratae*] Infra v. 49. non *ovis* dicitur, sed *aries villo spectabilis aureo.* Et sic alii scriptores in hac fabula narranda variant.

V. 3. *Hoc ipsum certior*] Graeca constructione ponitur pro *de hoc ipso* certior. Sic Virg Aen. 5, 2. dixit *certus iter*, pro certus *itineris.* Graeci in talibus accusativis intelligunt *κατὰ*, Latini *quod ad.* v. Voss. de Construct. 13.

V. 5. *Praeter mea*] Heinsius legere mallet *propter;* sed *praeter* eandem significationem habet. Caes. B. G. 1, 48. *praeter castra Caesaris suas copias transduxit.* Justin. 18, 7. *Cum praeter castra patris a Tyro reverteretur.* Ov. Met. 5, 159. *tela volant hiberna grandine plura Praeter utrumque latus.* ubi v. Intpp.

V. 10. *Sacros Martis tauros*] Sic Edd. veteres. Recte. Heinsius edidit *Marti.* Sed quam lectionem hic repudiat, praefert ad Prud. *π. στεφ.* hymn. 11, 2. ubi est: *O Christi Valeriane sacer.* Nec Drakenb. in Liv. 5, 47. dubitare debebat de constanti codicum lectione: *Anseres non fefellere, quibus sacris Junonis in summa inopia cibi tamen abstinebatur.*

Juga panda] i. e. curva, ut Tibullus ea vocat, 1, 11, 46. *Pandus* valde placuit Ovidio. Art. Am. 1, 318. *et immeritam sub juga panda trahi.* ubi plura exempla congessit Heinsius.

V. 11. *Seminibus jactis*] Nempe dentibus Draconis. *Jacere semen* est sementem facere. Virg. Geo. 1, 104. *Jacto qui semine cominus arva Insequitur.* Val. Flacc. 7, 75. *Everso jacias dum semina campo.*

V. 12. *Dextra non eguisse tua*] Non egebant dextra Jasonis in necem, quia semet ipsi mutuis vulneribus conficiebant. *Non egent dextra* significat non opus est illis dextra. Ep. 18, 147. *Arte egeo nulla.* Lucan. 6, 232. *Non eget ingestis, sed vulsis pectore telis.* ubi v. Burm.

V. 14. *Vellera fulva*] h. e. aurea. Nam auri fulvus color.

V. 15. *Timide*] *Timide credere* dicuntur, qui sic credunt, ut tamen timeant, ne, quod credunt, falsum reperiatur. Sic *timide gaudere* Met. 10, 287. et *timide confidere* Art. Am. 2, 143.

V. 16. *Ista ipsa mihi scripsit*] Probanda videtur Burmanni conjectura: *ipse, Ipse mihi scripsit.* Nam repetitio pronominis *ipse* vim et affectum addit sententiae. Hor. 4. Carm. 13, 18. *Quid habes illius, illius, Quae spirabat amores?* Lucan. 1, 203. *Ille, erit ille nocens.* v. Bentl. ad Hor. 3. Carm. 24, 25. et Drakenb. ad Sil. Ital. 2, 25.

Quanta] Quam felix.

V. 19. *Barbara*] h. e. Medea.

V. 20. *In mihi* etc.] Utroque modo dicitur *recipere in partem tori* et *in parte tori.* Met. 2, 529. *Sideraque, in coelo stupri mercede recepta, Pel-*

lite. Liv. 8, 26. *Ex composito ab sociis in urbe receptus.* ubi v. Drakenb. Auct. B. Hisp. 4. *in equis recipiuntur.* Usitatior tamen est structura praepositionis cum accusativo. v. Intpp. ad h. l. et Oudend. ad Suet. Domit. 14.

V. 21. *Temeraria*] Pro temere.

V. 23. *Haemoniis*] h. e. Thessalia. v. Steph. Byz. v. *Αἱμονία.*

V. 24. *Et tactum*] Male viri docti *et* in *ut* mutant. Nam illa particula exquisitam elegantiam habet, et velocitatem indicat. Virg. Aen. 3, 9. *Vix prima inceperat aestas, Et pater Aeneas ventis dare vela jubebat.* ubi v. Serv. et Burm. Caes. B. G. 1, 37. *Haec eodem tempore Caesari mandata referebantur: et legati ab Aeduis veniebant.* Ov. Ep. 14, 79. *Mane erat, et Danaus generos ex caede jacentes Dinumerat.* v. Oudend. ad Lucan. 1, 231.

Vix bene] est modo, commodum. Albinov. ad Liv. 69. *Vix posito Agrippa tumuli bene janua clausa est.* ubi v. Intpp.

V. 25. *Quid agit?*] h. e. quomodo valet? Plaut. Trin. 1, 1, 12. *Quid agit tua uxor? ut valet?* Hor. 1. Serm. 9, 4. *Acceptaque manu, quid agis, dulcissime rerum?* v. Brisson. de formul. p. 720.

V. 26. *Haesit*] *Haerere* dicitur, qui incertus est, quid dicat vel agat. Ter. Eun. 5, 2, 9. *ipsa est: haereo, quid faciam?* ubi v. Donat. Cic. Phil. 2, 29. *haerebat nebulo; quo se verteret, non habebat.*

In opposita humo] h. e. quae erat ex adverso. Metam. 13, 541. *et adversa figit modo lumina terra.* v. Intpp. ad h. l.

Lumina fixus est Graecismus, ut Amor. 2, 7, 11. *oculos in se dejecta modestos.* Sil. Ital. 8, 73. *terrae defixam oculos et multa timentem.* ubi v. Drak.

V. 28. *An me quoque fata trahunt?*] *Fata aliquem trahere* dicuntur, quum quis invitus fati necessitate in damnum suum aufertur. v. infra v. 50. Sed ille sensus alienus est ab hoc loco. Praeferenda igitur MSS. lectio *an me quoque fata vocant?* h. e. an mihi quoque mors jam instat. Ep. 7, 1. *Sic, ubi fata vocant.* Sil. It. 4, 510. *Cum fata vocabunt, Tale precor nobis salva Carthagine letum.* v. Drak. ad Liv. 10, 112. et Intpp. ad Lucan. 7, 185 et 815.

V. 29. *Vivit* etc.] Hic versus in libb. antiquis variis modis scribitur. Forte Ovidius dedit, ut Heinsio placet: *vivit, ait timide; timidum jurare coegi.* Sane elegans est vocis *timidus* repetitio. v. Manut. in Cic. ad Div. 1, 1. et Intpp. ad Vell. Paterc. 1, 3.

V. 30. *Teste Deo*] h. e. licet Deum hujus rei testem invocaret.

V. 31. *Ut rediit animus*] h. e. ut animum, quo linquebar, recepi. Plaut. Trucul. 2, 4, 15. *adspersisti aquam, Jam rediit animus.* Ultima syllaba in *rediit* h. l. propter caesuram producitur, ut multis aliis locis ap. Ov. v. Heins. Sic etiam syllaba *et* in *solet* et aliis verbis aliquando producitur. v. Oudend. ad Lucan. 1, 642.

V. 32. *Aënipedes*] h. e. aeripedes vel aereis pedibus praeditos, ut Metam. 7, 104. *Aeripedes tauri.* Poetae vero nusquam trisyllabum *aeneus* usurpant, sed ubique aut *aëneus* aut *aënus*, id quod recte observant Bentl. ad Hor. 2. Serm. 3, 183. et Markland. ad Stat. Sylv. 1, 1, 51.

V. 33. *Vipereos dentes*] i. e. dentes draconis a Cadmo interfecti, quorum pars a Cadmo seminata est, pars ad Aeëten, Medeae patrem, pervenit, ut mythologi tradunt. v. Ep. 12, 95.

V. 34. *Arma tulisse*] i. e. intulisse. Sic saepe *bella ferre* pro inferre dicitur. Stat. Theb. 8, 76. *Quaere, deis qui bella ferat.* v. Drak. ad Sil. Ital. 3, 363.

V. 35. *Populos*] Vocat multitudinem Graecorum more. Ep. 14, 115. *De fratrum populo pars exiguissima restas.* Met. 11, 632. *At pater e populo natorum mille suorum Excitat artificem.* v. Graev. Lect. Hesiod. 21. et Intpp. ad Justin. 10, 1.

V. 36. *Implesse aetatis fata diurna suae*] h. e. unum modo diem vixisse.

V. 37. *Jason*] Omnia nomina graeca, quae ab *Iä* brevi incipiunt a poetis per diaeresin efferuntur, ut *Iacchus, Iapyx, Iarbas, Iaspis* etc.

V. 38. *Alternant fidem*] h. e. faciunt, ut modo credam, modo non credam; nunc verum esse puto, quod spero, nunc, quod metuo. *Alternare* est alternis vicibus variare. Exempla v. in Gesn. Thes. L. L.

V. 40. *Ingenio suo*] i. e. naturali sermone, sponte natis verbis. Sic *ingenium* saepe opponitur *arti*, ut ap. Petron. 126. *Crines ingenio suo flexi.* Hanc vim vocis Burm., quamquam non satis aptis exemplis, illustrat.

V. 42. *Faxque sub arsuros*] v. notata ad Ep. 2, 120. Similis locus Just. 10, 3. *nonnulli facem nuptiis filiae accensam, rogo patris subditam, dolebant.*

V. 43. *Cognita*] Ut Graeci veneream consuetudinem honeste exprimunt verbo γινώσκειν, sic Latini verbo *cognoscere.* Infra 132. *Turpiter illa virum cognovit.* Exempla ubique reperiuntur. v. Ill. Grotium ad Matthaei Evang. 1, 23.

Furto] i. e. furtivo concubitu. Centies *furtum*, *furtivus amor*, *furari* a poetis hoc sensu dicitur. Amor. 2, 8, 3. *Et mihi jucundo non rustica cognita furto.* v. Intpp. ad Sil. Ital. 8, 487. et Burm. ad h. l.

V. 47. *Quid mihi cum Minyis?*] sc. negotii est. Haec indignandi formula frequens est apud Ovid. Ep. 14, 65. *Quid mihi cum ferro?* Trist. 3, 11, 55. *Quid mihi cum Siculis?*

Minyis] i. e. Argonautis. Sed unde sic dicti sint, non convenit inter Grammaticos. v. Fest. v. Minyae. Schol. Apoll. Rhod. 1, 229. Serv. ad Virg. Ecl. 4, 34. et Meziriac. ad h. l.

Tritonide pinu] h. e. Argonautarum navi, quae sic vocatur a Minerva Tritonide, quae Argum docuit rationem hujus navis construendae. v. Hygin. Fab. 14. et ibi Intpp. *Pinus*, *abies, alnus* a poetis saepe ponuntur pro nave, quod hae arbores ad naves conficiendas adhiberi solebant. Ep. 18, 158. *Quaque viam fecit Thessala pinus*, *eam.* ubi v. Heins.

V. 48. *Navita Tiphys*] Qui navis gubernator erat, per eminentiam *navita* dicitur. v. Art. Am. 1, 6. et Drak. ad Sil. Ital. 6, 361.

V. 49. *Villo aureo*] *Villus* est pilus mollior et densior animalium, praesertim lanigerorum. v. Ep. 12, 201. Art. Am. 3, 334. In voce *aureo* per synizesin duae posteriores syllabae contrahuntur in unam, ut in *alveus*, *igneus*, *eburneus etc.* v. Voss. de Art. Gramm. 2, 14. Pari modo *abiete*, *ariete*, *abietibus*, *arietat* contrahi solent. v. Heins. ad Met. 4, 221. 7, 150.

Spectabilis] i. e. dignus, qui spectaretur. Frequens est haec vox apud Ovidium, rarior apud ceteros melioris aetatis poetas. Art. Am. 1, 556. *coelo spectabile sidus.* ubi v. Burmann.

V. 52. *Castra*] Viri docti bene explicant navem Argonautarum. Haec enim vox non modo de terrestri, sed etiam de navali, exercitu dicitur. Actius ap. Non. Marcell. p. 341. *Aut naves uram, aut castra mactabo in mare.* Propert. 2, 7, 20. *Fervere et Hectorea Dorica castra face.* ubi plura exempla habet Passeratius, ut mirum sit, Cl. Drakenborchium ad Sil. Ital. 17, 292. de hoc vocis significatu dubitasse.

V. 54. *Ripa*] Hic pro littore ponitur, ut aliis locis *litus* pro ripa. v. Heins. ad h. l. et Duk. ad Flor. 4, 11. p. 779. Plerumque tamen *ripa* est fluminum, *litus* maris.

V. 55. *Urbe virum vidi*] Heinsius haec frigida esse sentiens ingeniose correxit: *Urbe virum vidua. Viduam urbem* eleganter dixit Ovidius, in qua omnes viri ab uxoribus essent occisi. Huic conjecturae quae Burm. opponit, nihili sunt. Sed requirimus exemplum, ubi Ovid. *viduus* simpliciter pro vacuo dixerit.

V. 56. *Bisque aestas*] Elegans circumscriptio biennii, ut mox verbis *tertia messis erat* triennium circumscribitur. *Currere* tempus saepe etiam ICti dicunt. v. Brisson. de V. S.

V. 58. *Implesti* etc.] Exquisite dicitur pro blanditiis lacrymarum supplesti, quod deerat efficaciae verborum. Sic Plin. Ep. 1, 19. dicit *implere equestres facultates* pro supplere, quod censui equestri deest.

V. 59. *Recursus*] i. e. reditum. Met. 6, 450. *et celeres missae spondere recursus.* ubi v. Burm. Ita *recurro* ap. Justin. 22, 8. *interea Agathocles, profligatis in Africa rebus, in Siciliam recurrit. Cursus* et *currere* etiam de navigatione dici, ad Ep. 2, 14. ostendimus. v. ad Ter. Andr. 1, 3, 14.

V. 62. *Vivat*] Sc. Iason foetum, ut legitimum et suum, tolli et edu-

cari volebat, non exponi aut interfici. De quo veterum more. v. notata ad Ep. 4, 124.

V. 64. *Memini non potuisse loqui*] Grammatici veteres tradunt, *memini* nonnisi praesentis temporis infinitivum adsciscere, quos falli et hic Ovidii locus et alii aliorum docent. Liv. 36, 34. *Quos solos obtrectasse gloriae suae meminerat.* ubi v. Drakenb.

V. 65. *Sacram Argo*] Dicit, quod Minerva Argum ejus compingendae rationem docuerat. v notata ad v. 47. MSS. apud Heusing. habent *Argon*, ut alibi *Didon* et *Sapphon*. Sic Aeoles a recto Ἀργὼ fecerunt accus. Ἀργῶν.

Conscendis] Utroque modo dicitur *conscendere in navem* et *conscendere navem.* Exempla habent Intpp. ad Caes. B. G. 5, 7. et Drakenb. ad Liv. Epit. 55.

V. 66. *Ventus concava vela tenet*] Francius ad h. l. et Markland. ad Stat. Sylv. 5, 3, 110. emendant *ventis concava vela tument.* Quod ab ipso Ovidio profectum videtur. Art. Am. 2, 432. *Saepe tument Zephyro lintea, saepe Noto.* *Tenere* et *tumere* alibi saepe a librariis confunduntur.

V. 67. *Propulsae carinae*] Navis proprie *propelli* dicitur remis vel vento. Propert. 3, 20, 11. *Nunc agite, o socii, propellite in aequora navim.* Senec. Hippol. 181. *Sic cum gravatam navita adversa ratem Propellit unda.* v. Oudend. ad Luc. 9, 319.

V. 69. *Turris circumspicit undas*] Hanc elegantem loquendi rationem explicuimus ad Ep. 5, 62.

V. 70. *Huc feror*] *Ferri* et *ferre se* ponitur pro ire. Ep. 10, 31. *In thalamos laeti, thalamos, sua busta, feruntur.* Virg. Aen. 11, 779. *captivo sive ut se ferret in auro.* Valer. Flacc. 4, 199. *E sylvis sese gregibusque ferebat Saevus in antra gigas.* Ov. Amor. 3, 10, 38. *Omnia, qua tulerat se Dea, messis erant.* v. Drak. ad Liv. 7, 15.

V. 71. *Per lacrymas*] i. e. inter lacrymandum, dum lacrymo. Ep. 12, 58. *Acta est per lacrymas nox mihi, quanta fuit!* Val. Flacc. 1, 767. *Talia per lacrymas.* ubi v. Intpp.

Cupidaeque faventia menti] Verissima est Volsci emendatio, cujus recentiores editores nullam rationem habuerunt: *cupidaeque faventia amanti.*

V. 73. *Preces castas*] Sic Ep. 9, 35. *Votis operata pudicis.* v. Bentl. ad Hor. 3. Carm. 14, 6.

V. 74. *Persolüenda*] Usitatissima est poetis diaeresis in verbo *solvo* ejusque compositis. Sic *evolvisse* etiam distrahitur in *evolüisse.* v. Heins. ad Ep. 9, 86.

V. 76. *Ira mixtus amor*] *Miscere* cum ablat. etiam construitur. Metam. 4, 14. Virg. Geo. 2, 327. Nemesian. Cyneg. v. 206. v. Oudendorp. ad Hirt. B. Alex. 56.

V. 77. *Dona* et *munera* notant sacrificia et omnia, quae Diis offeruntur. Virg. Geo. 3, 22. *Ipse, caput tonsae, foliis ornatus olivae, Dona feram.* Aen. 4, 217. *Nec munera templis Quippe tuis ferimus.* v. Burm. ad h. l. imprimis Broukh. ad Tibull. 4, 1, 8.

V 78. *Concidat icta*] *Icta* dicit, quod omnis hostia, antequam jugularetur, securi percutiebatur; *concidit*, quod omnis hostia stans feriebatur. Fast. 1, 720. *Albaque percussa victima fronte cadat.* ubi v. Heins.

V. 81. *Argolidas*] i. e. Argivas, a nominativo *Argolis.* v. Heins. ad h. l.

Hoste] Notanda vox *hostis* feminino genere. Art. Am. 2, 461. *cum certa videbitur hostis.* v. Intpp. ad Liv. 30, 14.

V. 83. *Sed carmine movit*] Durum est h. l. subintelligere *te.* Et quod hic dicitur de modo, quo Medea Jasonem moverit et sibi conciliarit, v. 97. exprimitur. Nobis igitur prae vulgata placet nonnullorum codicum lectio: *sed carmina novit.* Amor. 1, 8, 5. *Illa magas artes Aeaeaque carmina novit.* v. Intpp. ad h. l. *Carmen* autem saepissime ponitur pro incantatione magica. v. Heins. ad Sil. Ital. 1, 103.

V. 84. *Dira pabula*] i. e. herbas venenatas.

Cantata falce] i. e. incantata. Amor. 2, 5, 38. *Aut ubi cantatis Luna laborat equis.* Sic *cantus* dicitur pro incantatione. Ep. 12, 167. *Ipsi me cantus herbaeque artesque relinquunt.* Lucan. 6, 505. *Et patitur tantos cantu depressa labores.*

V. 85. *Illa reluctantem* etc.] Ridicula superstitione apud veteres credebatur, Lunam veneficarum, imprimis Thessalarum, carminibus e coelo deduci posse, cujus rei pleni sunt poetae Graeci et Latini. Virg. Ecl. 8, 69. *Carmina vel coelo possunt deducere Lunam.* ubi v. Lacerda. Hor. Epod. 5, 45. *Quae sidera excantata voce Thessala Lunamque coelo deripit.* Plura loca v. ap. Ciofan. ad Metam. 7, 207. et Heins. ad Sabin. Ep. Parid. 83. Etiam Solis et Lunae eclipses veterum superstitio magicis carminibus tribuebat. Prop. 1, 1, 19. *Carmen et informi pallentem sanguine solem Inficit, et Lunae sistit euntis equos.* Tum iidem, ut laboranti et deficienti Lunae succurrerent, aera pulsabant. Medea ap. Ov. Met. 7, 208. *Tequoque, Luna, traho, quamvis Temesaea labores Aera tuos minuant.* v. Casaub. Lect. Theocr. 3. et Lips. ad. Tacit. Ann. 1, 28. Hanc fatuam superstitionem diu etiam apud Christianos viguisse, et adhuc vigere apud Turcas et Christianos Syros, docet Broukhus. ad Tib. 1, 9, 22. De curru vel biga Lunae, tracta vel ab equis vel a bubus, v. Heins. ad h.l. et ad Ep. 20, 192.

V. 88. *Viva saxa*] Sunt solo cohaerentia. Virg. Aen. 1, 167. *vivoque sedilia saxo.* ubi v. Serv. Ov. Metam. 13, 810. *vivo pendentia saxo Antra.*

V. 89. *Passi capilli*] Ut Gell. 15, 15. docet, porrecti et expansi dicuntur. Liv. 1, 13. *Sabinae mulieres crinibus passis scissaque veste.* ubi erudita est Drakenborchii annotatio. Burm. ad Art. Am. 3, 709. putat, *passos capillos* magis convenire lugentibus ac supplicibus, *sparsos* capillos vaticinantibus et bacchantibus. Sed nihili esse discrimen, quod constituit, vel hic locus docet, ubi furenti Medeae *passi capilli* tribuuntur, ut *sparsi* Met. 7, 258. Horatius etiam de venefica, non quieta, sed furente et ululante, 1. Serm. 8, 23. *Vidi egomet nigra succinctam vadere palla Canidiam, pedibus nudis passoque capillo.*

V. 90. *Certa ossa*] i. e. quae novimus, sed nunc enumerare non licet. Sic *certus* saepe dicitur. v. Gesn. in Thes. L. L. h. v. Aliter h. v. acceperunt Intpp. Dubito, an bene.

V. 91. *Devovet absentes*] Duplex erat magicae defixionis modus. Nam veneficae vel in simulacra cerea illorum, quos devovere vellent, acubus saeviebant, additis incantamentis, vel devovendorum nomina tabellis inscripta pari modo confodiebant. Totam rem ex Theocr. et Virg. Pharmaceutria et aliunde praeclare explicat Heins. ad Amor. 3, 7, 29.

V. 95. *Thalamo in uno*] h. e. in uno eodemque thalamo. Terent. Eun. 2, 3, 75. *Aderit una in unis aedibus.* Liv. 1, 51. *Ea cum una nocte perfecta essent.* ubi v. Drakenb.

V. 96. *Somno frui*] Burm. ex uno MS. mallet *somno premi*, nec tamen damnat lectionem vulgatam. Eam ab Ovidii manu esse, ostendit locus in Ibin. 629. *Nec tu, quam Rhesus, somno meliore fruaris.*

Nocte silente] i. e. cum omnia silent et quiescunt. Virg. Aen. 2, 255. *tacitae per amica silentia Lunae.* ubi v. Serv. et Burm. Ov. Met. 7, 184. *mediae per muta silentia noctis.* Sic *tacitas horas* pro nocturno tempore dixit Val. Flacc. 2, 60.

V. 100. *Adscribi factis se favet*] *Favere* rariore significatione ponitur pro cupere, velle. Ennius ap. Serv. ad Virg. Geo. 1, 18. *Matronae muros complent spectare faventes.* v. Heins. ad h. l.

V. 101. *Peliae de partibus*] *Partes* fere plurali numero de factione dicuntur; aliquando tamen singularis *pars* sic ponitur, ut Liv. Ep. 84. *Qui partem optimatium secutus erat.* ubi v. Drakenb. Populus autem Thessalicus discesserat in duas partes, sic ut plebs faveret Peliae, Iasonis patruo, optimates Iasoni, tamquam legitimo Aesonis patris successori.

Acta venenis Imputat] i. e. tua fortia facta Medeae incantationibus attribuit, veneficio facta existimat. Proprie *imputare* est rationum verbum, ubi imputamus alteri, quod tamquam datum illi, vel acceptum ab eo in rationibus nostris ponimus. v. Gesn. Thes. L. L. Hinc dicitur pro attribuere alicui vel bene vel male facta. Vetussissimus scriptor, qui hoc verbo usus reperiatur, est Ovidius Met. 2, 400. *natumque objectat et imputat illis.* Deinde illud frequentavit argentea, quam vocamus,

Latinitatis aetas. v. Intpp. ad Suet. Tib. 53. et Sciopp. Infam. Fam. p. 53.

V. 103. *Phasias Aeëtine*] h. e. Medea, quae *Phasias* vocatur a Phaside, Colchidis flumine, *Aeëtine* ab Aeëte patre, Colchorum rege. *Aeëtine* eadem forma dicitur, qua *Oceanine*, *Nonacrine*, *Euenine*, ut accurate docet Heins. ad h. l. Notandus autem versus spondaicus, quales in Ovidii Elegiis non occurrunt, nisi in nominibus propriis, vel certe proprio nomine praecedente, ut Ep. 12, 121. *Complexos utinam Symplegades elisissent.*

V. 104. *Phryxeae ovis*] h. e. cui Phryxus insidens e Graecia transiit ad Colchos. Nota est fabula e Mythographis. v. Ep. 12, 8. Met. 7, 7.

Revellit] *Revellere* est vellendo tollere, auferre, detrahere. Sic *radice revellere herbas* Met. 7, 226. et saepe apud alios *portarum claustra revellere*. *Vello* autem et *revello* apud Ovidium aliosque veteres in praeterito habet *velli*, non *vulsi*. v. Voss. de Analog. 3, 28. et Heins. ad h. l.

V. 108. *Patria Phasides*] *Patria* est fons, origo fluvii, ut Amor. 3, 6, 40. de Nilo: *Qui patriam tantae tam bene celat aquae.* v. Intpp. ad h. l.

V. 109. *Vernaque incertior aura*] Poetae inconstantiam passim comparant ventis. Calpurn. Ecl. 3, 10. *Mobilior ventis, o femina.*

V. 110. *Pollicito pondere*] *Pollicito* passive sumendum pro promisso. v. Heins. ad h. l. et ad Metam. 11, 107. *Verba* autem *pondere carere* dicuntur, cum quis non praestat promissa. Propert. 2, 18, 44. *Quid juvat, in nullo pondere verba loqui?*

V. 114. *Minoo nata Thoante feror*] *Feror* ponitur pro sum. v. notata ad Ep. 4, 149. Melior tamen est h. l. altera lectio *precor*, hoc sensu: Ego nobilis illa Hypsipyle supplex precor. Thoas, Hypsipyles pater, Minous dicitur, quia Bacchi et Ariadnes filius habebatur. Ariadne autem filia Minois erat.

V. 115. *Redimita corona*] Ariadnen a Theseo relictam Bacchus amavit, eique coronam donavit, quae postea inter sidera collocata est. v. Eratosth. Catast. 5. Hygin. Fab. 224. et ibi Munker. Illud Sidus *Cressa corona* appellatur ab Ovid. Art. Am. 1, 558. ubi v. Heins.

V. 116. *Praeradiare*] Est valde radiare, ut ap. Claud. nupt. Hon. 286. *Pilentaque sacram Praeradiant ductura nurum.* Sed hic alia significatione et constructione ponitur pro tanta luce radiare, ut minora astra obscurentur. Sic verbo *praeminere* usus est Tacitus Ann. 3, 56. *ut appellatione aliqua caetera imperia praemineret.*

V. 117. *Dos tibi Lemnos erit*] Exquisitior est Cod. antiqui lectio: *dos tibi Lemnos eat.* Nam *ire* a poetis pro esse dicitur. Valer. Flacc. 4, 217. *mox omnibus idem Ibit honos.* v. Burm. ad h. l. et ad Luc. 5, 297.

Terra ingeniosa colenti] *Ingenium* est natura, et saepe tribuitur agris aliisque rebus inanimatis. Stat. Sylv. 1, 3, 15. *Ingenium quam mite solo.* Sil. Ital. 4, 90. *Explorare locos consul, collisque propinqui Ingenium.* ubi v. Drakenb. *Terra ingeniosa* est suapte natura ferax. Fast. 4, 684. *ad segetes ingeniosus ager.*

V. 118. *Res tales*] i. e. possessiones, quae sint ingeniosae colenti. Comparatur fecunditas Hypsipylae cum fundi fertilitate. v. Gron. Obss. 4, 15. et Heusing. ad h. l.

V. 119. *Gratari*] Est gratulari, gaudere aliquo bono. Ep. 11, 65. *Quid tibi grataris?* Liv. 9, 43. *invicem inter se gratantes.* ubi v. Drakenb.

V. 120. *Onus*] i. e. foetum. v. Ep. 4, 58.

V. 122. *Lucina*] i. e. Diana, quae sub nomine Lucinae vel Junonis Lucinae vel Ilithyiae partui praesidere putabatur. v. Terent. Andr. 3, 1, 15 et Horat. Carm. Saec. 13.

V. 123. *Cognosceris illis*] i. e. vultu te referunt. Quod argumento erat, castam Hypsipylen fuisse, et infantes ex Jasone conceptos esse. Senec. Herc. F. 1016. *Agnosce Megaram: natus hic vultus tuos Habitusque reddit.* v. Sil. Ital. 2, 634. et ibi Intpp.

V. 125. *Legatos*] Melior lectio est *legatos*, hac sententia: parum aberat

quin parvulos famulis ad te ferendos darem, ut essent legati pro matre. v. Heusing. ad h. l.

V. 126. *Tenuit vias*] i. e impedivit, inhibuit iter. Luc. 5, 136. *Et Phoebi tenuere viam.* ubi v. Burm. Adde notata ad Ep. 2, 14.

V. 127. *Faciunt ad scelus*] i. e. aptae sunt ad scelus perpetrandum. v. not. ad Ep. 2, 39.

V. 129. *Fratris*] i. e. Absyrti. Notissimam fabulam narrat etiam Ov. Trist. 3, 9, 5.

V. 131. *Colchis*] *Colchus* ponitur pro *Colchicus*, nomen gentile pro possessivo. Metam. 8, 394. *Colchis arsit nova nupta venenis.* v. Bentl. ad Hor. 2 Carm. 13, 8.

Ablate venenis] i. e. ut egregie explicat Magnus Gronov. ad Liv. 35, 11. non compos mentis propter venena. *Auferri* eleganter dicuntur, qui vel animi commotionibus vel quacunque ratione transversi rapiuntur. Rem. Amor. 343. *Auferimur cultu.* Cic. ad Div. 2, 7. *ne te auferant aliorum consilia.* Coelius ad Cicer. 17. *bona mens iracundia et amore ablata.* Senec. de Clem. 1, 6. *peccavimus forte impulsi, aut aliena nequitia ablati.* v. Ernest. clav. Cic. v. *auferre* et Intpp. ad h. l. Similiter *abripi* dicitur. Sil. Ital. 5, 229. *Abreptus pulcro caedum Lateranus amore.* ubi v. Drakenb.

V. 134. *Taeda pudica*] h. e. matrimonium castum. Locutionis rationem explicuimus ad Ep. 4, 121.

V. 135. *Rapui de caede Thoanta*] Lemniades Veneris impulsu omne virorum genus interfecerunt, praepter Hypsipylen, quae patrem Thoanta caedi eripuit. Fabulam narrant Hygin. Fab. 15 et alii multi, qui a Munkero ad illum loc. citantur.

V. 137. *Quid refert?*] h. e. cui bono est, quem fructum ex pietate capio? Liv. 4, 49. *Ingemuistis modo voce hujus audita. Quid id refert?* Lucan. 10, 383. *Quid refert? nec opes populorum ac regna movemus.* Aliis exemplis locutionem ad h. l. Heins. illustrat.

V. 138. *Crimine dotata est*] h. e. si crimen tantum tibi valet, quantum dos luculenta. Similis locus Justin. 1, 7. *Uxor mariti sanguine dotata regnum viri et se pariter adultero tradidit.*

Emeruitque] *Emerere* i. q. *demerere*, sive meritis suis sibi parare. Am. 2, 8, 24. *Unum est e dominis emeruisse satis.* h. e. obsequio illius meruisse benevolentiam. v. Heins. ad h. l. Sic *emerere* etiam dicitur pro simplici *merere*, vel bene merere. Prop. 4, 11, 61. *Et tamen emeruit generosos vestis honores.* Sil. It. 7, 19. *emerito sacrum caput insere coelo.* ubi v. Drak.

V. 140. *Iratis*] Alienum est *iratis*. Sed idoneam sententiam habet Heusingeri emendatio: *Quam libet infirmis.* Sic Am. 1, 7, 66. *Quamlibet infirmas adjuvet ira manus.*

V. 141. *Dic, age*] Formula est vel exprobrantis, vel superbe alloquentis, vel provocantis alterum, ut probet aliquid et exemplis confirmet. Ep. ex P. 3, 5, 37. *Dic tamen, o juvenis, studiorum plene meorum.* Ep. 16, 341. *Tot prius abductis, dic, quae repetita per arma est.* ubi v. Burm. Similis formula est *da mihi nunc* apud Cic. Acad. 1, 3. *Sed da mihi nunc, satisne probas?* ubi ejus vis fefellit Davisium et alios.

V. 144. *Hiscere*] De hoc voto v. not. ad Ep. 3, 63.

V. 147. *Per me*] h. e. quod ad me attinet, ut in formula *per me licet.*

V. 151. *Medeae Medea forem*] h. e. talis adversus Medeam essem, qualis Medea adversus alios. De eleganti potestate nominis proprii pro indole et moribus supra diximus.

Si quid] Eleganter *quid* post *si* abundat. Fast. 2, 18. *pacando siquid ab hoste vacas.* Cic. ad Div. 4, 1. *ut, si quid tu eum velles, ad me mittere ne recusaret.* Liv. 3, 48. *Si quid inclementius in te sum invectus.* ubi v. Drak. Plura Heins. ad h. l.

Ab alto] Sc. coelo. Met. 9, 177. *Hanc pestem specta, crudelis, ab alto.* Val. Flacc. 4, 483. *Ab alto Ipse volens nostris sed vos Deus appulit oris.*

V. 152. *Justus Juppiter*] est, qui merentibus favet. Hor. 3. Carm. 14, 6. *justis operata Divis.* ubi v. Bentl.

Ades] h. e. fave, juva. Propria formula in precationibus. Liv. 2, 6. *Dii regum ultores, adeste.* Senec. Med. 13. *adeste, sceleris ultrices Deae.*

Metam. 8, 597. *Huc ades atque audi placidus, Neptune, precantem.* v, Brisson. de Formul. 1. p. 64.

V. 153. *Subnuba*] h. e. pellex, quae clanculum nupsit alieno marito. Haec vox, nondum alibi inventa, eadem analogia formatur, qua *pronuba* et *innuba*, ut optime docet Heins.

V. 154. *Sanciat*] *Sancire legem* est poena addita cavere, ne quid contra legem committatur. Hor. 1. Serm. 3, 67. *Quam temere in nosmet legem sancimus iniquam.* Justin. 3, 2. *Si quidem nihil lege ulla in alios sanxit, cujus non ipse primus in se documenta daret.* v. Intpp. ad Liv. 3, 55. Hinc *sanctio* dicitur caput legis, quod poenam continet, qua tanquam sanctae et inviolabiles leges fiunt. v. Cic. p. Balbo 14. Sensus ergo est, Medea, quam in me statuit poenam, ipsa subeat, vel puniatur legibus suis. v. Heins. ad h. l.

V. 156. *A totidem natis*] Latine dicitur *orbus aliqua re*, non orbus *ab aliqua re*; nec quidquam juvat locus Cicer. p. Flacc. 23. ubi est *orba ab optimatibus concio*, cum ibi etiam codd. praepositionem *ab* omittant. Itaque amplectenda videtur Heinsii conjectura, quam ipse deseruit: *Da, totidem natis orba sit, atque viro. Da*, sc. Jupiter.

V. 158. *Quaerere fugam*] est quaerere locum, quo fugere possis. Hoc loquendi genus durius videtur Burmanno. Sed gravissime errat. Nam et Cicero et Propert. ita locuti sunt, alter Phil. 5, 16. *fugam quaerebamus omnes, quae ipsa exitum non habebat*, alter 2, 13, 40. *extremo quaerere in orbe fugam.* ubi v. Broukh. *Circumspicere fugam* dixit Justin. 2, 12. *petere fugam* Ovid. A. Am. 1, 552 et Lucan. 4, 749. ubi v. Burm.

V. 159. *Quam fratri*] Constructio est: Quam acerba germana fuit fratri, quam acerba fuit filia misero patri, tam acerba sit natis, tam acerba sit viro.

V. 161. *Consumere terras*] est ita pervagari terras, ut nihil amplius ad pervagandum supersit.

Aëra tentet] h. e. per aëra volet. Sic *tentare aequora* Ep. 7, 57. Respicitur ad fabulam, qua Medea aufugisse dicitur curru, cui alati dracones juncti essent. v. Trist. 3, 8, 3.

V. 162. *Exspes*] h. e. sine spe, non sperans salutem, ut *expers* sine parte, *exlex* sine lege. Hor. A. P. 20. *si fractis enatat exspes Navibus.* Cic. p. Coel. 32. *hominem sine re, sine fide, sine spe, sine sede, sine fortunis.*

Caede sua] i. e. suorum.

Epist. VII.

V. 1. *Abjectus in herbis*] h. e. temere jacens. Prop. 1, 14, 1. *Tu licet abjectus Tiberina molliter unda.* Phaedr. 4, 1, 12. *Involvit se farina, et obscuro loco Abjecit negligenter.* ubi v. Intpp.

V. 2. *Ad vada Maeandri*] Constat poëtarum testimoniis, Maeandrum et Caystrum oloribus abundare. Vetus autem fabula est, olorem morti vicinum cantare, de qua v. Drak. ad Sil. It. 11, 440. Dubitatum etiam est ab ipsis veteribus, ut Aelian. V. H. 1, 14. an olores cantent. Verum Cl. Ernestus ad Callimach. H. in Apoll. 5. duos laudat testes, quorum alter in Asia, alter in Islandia olores dulcissimum cantum fundentes audiverint.

V. 4. *Adverso deo*] Eleganter Heins. corrigit *averso Deo* h. e. irato, offenso. Burmannus ad h. l. et Drakenb. ad Liv. 38, 33. vulgatum defendunt. Sed *aversus* exquisitius est, et poetis magis usitatum, ut copiose demonstrant Heins. ad h. l. et Broukh. ad Tib. 3, 3, 28.

Movimus] *Movere* dicimur omnia, quae incipimus. Sed cum *moveri* et *movimus* vicinitate sua aures elegantes offendant, Heinsius egregie emendavit *vovimus ista*, cui frustra obloquitur Burmannus, qui *teneri* corrigit ad Anthol. Lat. T. I. p. 441. Sensus est: Jam ante precibus optavimus, te moveri posse; sed ea vovimus Deo irato.

V. 5 *Sed merita et famam*] Verbum *perdere* semel positum duplicem vim habet. Nam *perdit merita*, qui ex beneficiis in alterum collatis nullum fructum capit, ut *verba perdit*, qui frustra illa impendit; *perdit*

famam, corpus, animum, qui haec omnia amittit. Sic in hac ipsa ep. v. 9 *solvere* duplicem significationem habet. Nam alio modo *foedus*, alio *naves solvimus*, Sic saepe duo, interdum plures, sensus in uno verbo latent. Vim exemplorum ex utriusque linguae scriptoribus congessit d'Orvill. ad Charit. p. 395.

V. 9. *Solvere naves*] Pro *solvere naves* etiam simpliciter dicitur *solvere*. Caes. B. G. 5, 23. *Secunda cum solvisset vigilia*. Cic. ad Div. 16, 9. *Nos eo die coenati solvimus*. v. Drak. ad Liv. 31, 7.

V. 10. *Regna sequi*] Est petere, adire. Fast. 6, 109. *Rura sequi jaculisque feras agitare solebat*. Virg. Aen. 5, 629. *Italiam sequimur fugientem*. Cic. ad Att. 10, 18. *Phormias nunc sequimur*. ubi v. Graev. Adde Heins. ad Val. Flacc. 1, 66.

V. 11. *Crescentia moenia*] Burm. ex uno cod. praefert *surgentia moenia*. Perperam. Nam *surgentia* glossema est, et omnia, quae in altum tolluntur, eleganter *crescere* dicuntur. Lucan. 5, 625. *Tunc quoque tanta maris moles crevisset in astra*. Sil. Ital. 14, 309. *Perque altam molem et toties crescentia tecta*.

V. 12. *Summa*] h. e. summa res vel rerum, ut usitatius dicitur. Plaut. Truc. 4, 2, 15. *Solus summam hic habet apud nos*. v. Intpp. ad h. l.

V. 15. *Habendam*] Elegantius in cod. ap. Heusing. *quis enim tibi tradet h*. Viri docti, in his Drakenb. ad Liv. 5, 35., *habere* accipiunt pro habitare, incolere. Sed melius est, capere pro possidere, tenere, regere. Sallust. Jug. 2. *animus, rector humani generis, agit atque habet cuncta, neque ipse habetur*. Curt. 8, 8. *si habere Asiam, non transire, volumus*. Flor. 4, 2. p. 668. *Siciliam per legatos habet*. ubi v. Intpp.

V. 16. *Arva tenenda*] h. e. habenda, ut paullo ante dixit, vel possidenda. Virg. Aen. 1, 12. *Urbs antiqua fuit; Tyrii tenuere coloni*. v. Intpp. ad h. l.

V. 17. *Amor*] Poetice ponitur pro *amante*. Met. 1, 452. *Primus amor Phoebi Daphne*. Tibull. 1, 2, 4. *infelix dum requiescit amor*. ubi v. Broukhus.

V. 23. *Inductum sulfur*] Est insuper additum, superlitum. Justin. 12, 7. *arma militum argento inducit*. v. Oudend. ad Lucan. 4, 132. In uno cod. legitur *incocto sulfure* h. e. bene cocto, quae scriptura etiam Burmanno placet: quamquam is male intelligit facem lustralem. Nam in lustratione non coctum, sed vivum, sulfur adhibebatur. Liv. 39, 13. *demissasque in aquam faces, quia vivum sulfur cum calce insit, integra flamma efferre*. Fast. 4, 739. *Caerulei fiant vivo de sulfure fumi*. v. Broukh. ad Tibull. 1, 5, 11.

V. 24. *Pia tura*] Dicuntur, quia praecipuus eorum usus in sacrificiis. Ep. 21, 7. *cum dem pia tura Dianae*.

Addita] Saepe compositum *addere* pro simplici *dare* occurrit apud poetas. Met. 9, 358. *Hoc avus Eurytus illi Addiderat nomen*. Multa exempla collegit Heins. ad Sil. Ital. 3, 350.

V. 27. *Male gratus*] i. e. parum gratus, ingratus.

V. 29. *Male cogitat*] h. e. dolos meditatur, dolose agit. v. Heins. ad h. l. Sic passim dicitur *cogitare scelus, parricidium*. Sic *cogitata injuria* ap. Cic. de Off. 1, 8 ubi v. Graev.

V. 30. *Pejus*] h. e. vehementius. v. Ep. 4, 26.

V. 31. *Parce*] Nurum Veneris se vocat Dido, quod uxor erat Aeneae, qui Anchisae et Veneris filius credebatur. Eandem ob causam etiam Amor vel Cupido Aeneae frater dicitur; nam et is Veneris filius erat.

V. 32. *Militet*] Saepe amor a poetis militiae comparatur. Hor. 3. Carm. 26, 1. *Vixi puellis nuper idoneus, Et militavi non sine gloria*. Ov. Am. 1, 9, 1. *Militat omnis amans, et habet sua castra Cupido*. v. Passerat. ad Prop. 1. p. 172.

V. 33. *Aut ego, quem etc.*] Hujus loci prava interpunctio tenebras offudit Burmanno. Distinguendum hoc modo: *aut, ego quem coepi* etc. Sensus hic est: Frater tuus Aeneas me amet, aut, si nimium opto, saltem is se a me amari patiatur.

V. 34. *Cura*] Ponitur pro amore, quoniam multae inde curae exsistunt.

Hinc ut *amor*, sic etiam *cura*, pro amica dicitur. v. Virg. Ecl. 10, 22. et Scalig. ad Virg. Cir. 72. Apud Ovid. Rem. Am. 495. *curas* similiter explicat amorem. Sed ibi potius intelligenda intolerabilis amoris sollicitudo, ut ap. Virg. Aen. 4, 1. *At regina, gravi jam dudum saucia cura.*

V. 35. *Falso jactatur*] h. e. falso gloriaris, te Venere natum esse. *Imago* est nobilitas generis, quod Romani illustrium majorum imagines, in nobilitatis signum, in atrio collocare solebant. v. Ernest. clav. Cic. v. *Imago.*

V. 37. *Te lapis*] Poëtae, si saevum aliquem et immitem describere velint, eum dicunt inter montes et rupes a feris procreatum esse. Multa hujus comparationis exempla sunt apud Latinos poetas, praesertim apud Ovidium, qui in ea vix modum tenuit. v. Ep. 10, 131. Met. 9, 612. Trist. 3, 11, 3. Muret. ad Catull. p. 103 et Broukhus. ad Tib. 3, 4, 85. ad Prop. 4, 4. 51. Omnes vero hanc comparationem hauserunt ex illo ingeniorum fonte Homero Il. *Π.* 33.

V. 40. *Quod ire*] *Ire mare, viam, coelum* poetae dicunt ire per mare, etc. Art. Am. 2, 37. *caelum tentabimus ire.* Prop. 3, 14, 12. *Scironis medias his licet ire vias.* v. Heins. ad h. l. et ad Fast. 1, 122. ubi eodem modo *ambulare vias* dicitur, uti *conscendere mare* apud Quinctil. Decl. 5, 10. v. Wesseling. ad Itin. Vet. p. 571.

V. 41. *Obstat hiems*] Hiems est tempestas, ut apud Graecos *χειμών*. v. Drak. ad Sil. It. 12, 633. Liv. 36, 10. *hiemem obstare apud suos causatus.* ubi v. Duker.

V. 42. *Aquas eversas*] i. e. funditus erutas, ita commotas, ut ex imo fundo in superficiem tollantur. Virg. Aen. 1, 43. *evertitque aequora ventis.*

V. 43. *Sine me debere procellis*] h. e. sine me procellarum munere vel beneficio obtinere. Val. Flacc. 2, 407. *Ergo moras coelo cursumque tenentibus undis Debuimus.* Ep. 8, 119. *quae tibi debent, Quod se sub tumulo fortiter ulta jacent.* Ceterum Heusing. e cod. vestigiis eleganter scribit: *Quod tibi debuerim, sine me debere procellis.*

V. 47. *Pretiosa odia*] Sunt, ut ipse Ovidius explicat, magno constantia, quae magno emuntur, magno pretio exercentur. Epigr. vetus ap. Pithoeum 4. p. 154. *Est tamen expertis mors pretiosa ferae.* Ut hic *magno constare*, sic *gratis constare* dicitur Am. 1, 8, 72.

V. 49. *Venti ponent*] h. e. quiescent. Supplendum est *se*, ut *praecipitat* et *praecipitat se*, et alia ejus generis. Virg. Aen. 7, 27. *Cum venti posuere, omnisque repente resedit Flatus.* ubi v. Lacerda. Sic passive *positi flatus* ap. Minuc. Fel. 3. v. Burm. ad h. l.

Strata unda] est *sedata, quieta.* Ep. 19, 160. *Sternet et aequoreas aequore nata vias.* Virg. Ecl. 9, 57. *Et nunc omne tibi stratum silet aequor* Eodem modo Graecos loqui, docet Bergler. ad Alciphr. 1, 1. Hinc mare sedatum etiam dicitur *jacere.* Val. Fl. 3, 732. *jacet sine fluctibus aequor.* Sil. Ital. 5, 583. *Ducere suspenso per stagna jacentia lino.* ubi v. N. Heins.

V. 50. *Triton*] Est Deus marinus, de quo veterum fabulas v. ap. Meziriac. ad h. l. Ejus *equi caerulei* dicuntur a colore maris.

V. 53. *Nescieris*] *Nescieris* est ab Heinsio. Reliqui libri tenent *nescires*, quod latinitatis ratio commendat. v. Heusing. ad h. l.

V. 54. *Male credis*] h. e. in damnum tuum. Ov. Fast. 5, 452. *Et male veloci justa soluta Remo.* Senec. Suas. 5. *errat circa damna sua, et quae male expertus est, vota deponit.* v. Drak. ad Sil. It. 13, 50.

V. 55. *Pelago suadente*] *Suadere* exquisite tribuitur rei inanimatae, quae nos habitu suo allicit, invitat. Met. 13, 417. *Jamque viam suadet Boreas.* Virg. Aen. 4, 81. *suadentque cadentia sidera somnos.*

V. 58. *Poenas exigit*] i. e. punit, ut infra v. 97. *Exige, laese pudor, poenas.*

V. 60. *Cytheriacis aquis*] Venus, ut in fabulis est, nata e spuma maris, primum emersit ad insulam Cythera. v. Fest. v. Cytherea et Broukh. ad Tib. 1, 2, 40.

V. 62. *Bibere aquas*] poetae dicunt pro mergi aquis. v. Amor. 2, 11, 6.

V. 63. *Funere*] i. e. morte, ut infra 136. *Et nondum nato funeris auctor eris.*

V. 65. *Nullum sit in omine pondus*] h. e. quod abominor, quod omen Dî avertant. Talibus enim formulis dira et infausta veteres detestari solebant. Exempla sunt ap. Briss. de Form. 1. p. 84.

V. 66. *Turbine deprendi*] h. e. opprimi, invadi. Proprie hoc verbum dicitur de navigantibus, qui subita tempestate opprimuntur. Met. 11, 669. *Nubilus Aegeo deprendit in aequore navim Auster.* Virg. Geo. 4, 421. *Deprensis statio tutissima nautis.* Aen. 5, 52. *Argolicove mari deprensus.* v. Freinsh. ind. in Flor. et Bentl. ad Hor. 1. Carm. 14, 10.

V. 67. *Occurrent*] i. e. in mentem venient. Cic. Tusc. 1, 21. *nihil mihi occurrit, cur non sit verum.* p. Ligar. 2. *nec, quid tibi de se ipso occurrat, reformidat.* Et sic ille saepe. v. Ernesti Clav. Cic. h. v.

V. 70. *Effusis etc.*] h. e. solutis ac pendulis. *Fundere comas* dixit Lucan. 2, 30. v. Drak. ad Liv. 3, 7.

V. 71. *Quidquid id est*] h. e. quaecumque tandem poena sit. Frequens formula, qua significatur, aliquid incertum esse. Ep. 19, 203. *Quidquid id est, timeo.* Sil. Ital. 6, 119. *Quidquid id est duri, et rerum inclinata feramus.* ubi v. Intpp.

Concedite] Burm. in add. h. l. adeo corruptum putat, ut satius sit, manum ab ulcere abstinere. Enimvero locus non solum integerrimus est, sed etiam planissimus, quem ita Oudend. explicat ad Suet. Ner. 29. *tu dicas diis, peccavi, omnia mala commerui, sed veniam date fasso.* *Concedere* est culpam remittere. Trist. 2, 31. *Sed, nisi peccassem, quid tu concedere posses?* Cic. p. Rosc. Am. 1. *neque temere dicto concedi potest.* ubi v. Graev.

V. 72. *Cadent*] i. e. descendent. Fast. 3, 287. *Non alias missi cecidere frequentius ignes.* Quibus locis Gesn. defendit *fulmen caducum* in Hor. 3. Carm. 4, 44.

V. 73. *Saevitia, ira, furor*, saepe mari tribuitur, cum ventis agitatur. Ep. 13, 6. *Illud erat saevis utile tempus aquis.* Vell. Pat. 1, 2. *jactati cum variis casibus, tum saevitia maris.*

V. 75. *Nec mihi parcatur, puero parcatur Iulo*] Venuste et cum efficacia repetitur verbum *parcatur.* Ep. 19, 203. *Si tibi non parcis, dilectae parce puellae.* Met. 3, 421. *Et dignos Baccho, dignos et Apolline crines.* Frequens apud poetas haec repetitio. v. Heins. ad Ep. 6, 29. et Oud. ad Lucan. 2, 71.

V. 76. *Titulum mortis habere meae*] i. e. Te mortis causam esse. v. Ep. 13, 190.

V. 83. *Mater Iuli*] h. e. Creusa, quae non relicta est ab Aenea, ut Dido ait, invidiam factura Aeneae, sed in Trojae eversione aberravit a marito. v. Virg. Aen. 2, 738.

V. 86. *Ure*] h. e. crucia, ut Ep. 3, 138. quod simplicius est explicatione Burmanni.

Minor culpa poena futura mea est] h. e. si me vel saevissimis suppliciis vexaveris, tamen illa poena levior futura est, quam stultitia et temeritas mea fuit, qua tibi fidem habui et te amavi.

V. 87. *Damnent*] *Damnare* est improbare, ut ap. Luc. 8, 328. *Consilium damnasse viros.*

V. 89 *Ejectum*] *Ejici* proprie dicuntur, qui naufragi fluctibus in terram expelluntur. Virg. Aen. 4, 373. *Ejectum litore egentem Excepi.* Cic. Catil. 2, 11. *ejectam naufragorum manum.* *Navis ejecta* dicitur infra 172. v. Passerat. ad Cic. p. Quint. 19. et Gronov. ad Sen. Contr. 3, 16. et Intpp. ad h. l.

V. 92. *Fama sepulta*] h. e. obscurata, obruta, ut nulla ejus memoria exstaret. Propert. 3, 13, 9. *Cuncta tuus sepelivit amor.* Ovid. Ep. 1. ex P. 5, 85. *Vosque, quibus perii tunc, quum mea fama sepulta est.*

V. 94. *Caeruleus imber*] sive ater, niger, ut alibi a poetis dicitur. Eodem epitheto usus est Virg. Aen. 3, 194, qui diligenter cum hac epistola comparandus est; nam multa ex eo expressit Ovidius.

V. 95. *Ululasse*] h. e. hymenaeum cantasse. Hoc etiam sumsit a Virg. Aen. 4, 168. *summoque ulularunt vertice Nymphae*, ubi v. Serv. *Ululare* pariter, ac Graecum ὀλολύζειν, unde ortum est, tum in rebus laetis, tum in tristibus usurpatur. Lucan. 6, 261. *laetis ululare triumphis*. v. Hemsterh. ad Lucian. somn. p. 6.

V. 97. *Exige, laese pudor*] Hic locus mendam suscepit. Nam *laese* idem est quod violate. Nec versum corruptelae suspicione liberant exempla, quibus Broukh. ad Tib. 3, 5, 22. docet, poetas interdum duo epitheta uni substantivo addere solere. *Pudor* altero versu pro pudicitia ponitur, altero pro infamia, turpitudine. Sed cum hoc vocabulum parum concinne repetatur, Heins. optime emendat *plena ruboris eo*.

V. 100. *Vellera alba*] sunt vittae laneae, quibus simulacra in templis cingebantur. Commentarii instar est Virg. Aen. 4, 457. sqq.

V. 101. *Citari*] h. e. vocari, nomine suo appellari. Plin. Ep. 9, 13. *quo quisque ordine citabantur*, ubi v. Buchner. Sic etiam *cieo*, unde frequentativum *cito* ortum est, usurpatur. Lucan. 4, 177. *Hospitis ille ciet nomen, vocat ille propinquum*. Suet. Ner. 46. *de Mausoleo sponte foribus patefactis, exaudita vox est nomine eum cientis*. Ex quo loco etiam patet, talem nominis appellationem vicinae mortis prodigium esse.

V. 103. *Debita*] h. e. fato destinata.

V. 104. *Admissi*] h. e. peccati. Ep. 11, 110. *Ah, miser admisso plectitur ille meo*. *Admittere facinus* vel *admittere in se facinus* frequens ap. Cic. et alios. v. Broukh. ad Tib. 1, 7, 62.

V. 105. *Idoneus auctor*] h. e. dignus, cui credas, ut passim dicitur *testis idoneus*.

V. 107. *Pia sarcina nati*] Figurate dicitur pro *sarcina pii nati*, ut apud Horat. 3. Carm. 4, 6. *pii luci* pro *luci piorum*. ubi v. Bentl.

V. 108. *Rite dedere viri*] Scribendum ex optimae notae codd.: *Rite dedere tori*. v. Heusing. ad h. l.

V. 110. *Nulla parte*] h. e. omnino non. Sic omissa praepositione etiam Hor. 1. Serm. 2, 37. *ut omni parte laborent*. Liv. 40, 34. *gente ne nunc quidem omni parte pacata*. Cum praepositione Ep. 15, 45. *omnique a parte placebam*. Cic. de Amic. 21. *quod sit omni ex parte in suo genere perfectum*. v. Drakenb. ad Liv. 40, 22.

V. 112. *Persequitur*] Bene e MSS. repositum est, pro *prosequitur*. *Persequi* est urgere, assidue instare. Petron. c. 129. *Non solum me numen et implacabile fatum Persequitur*. Met. 4, 151. *Persequar exstinctum*. ubi v. Intpp. Hinc ulciscendi et puniendi notio nata est, quam exemplis illustrat Drak. ad Liv. 40, 11.

Fati tenor] h. e. fati perseverantia. Ov. Ep. 15, 59. *An gravis inceptum peragit fortuna tenorem?* Ep. 17, 14. *tenor vitae*. Val. Flacc. 6, 141. *Illis omnis adhuc veterum tenor*. h. e. mos veterum constanter ab illis retinetur. Livius inprimis hac voce delectatus est, cujus loca congessit Drakenb. ad 4, 37.

V. 113. *Internas ad aras*] h. e. ad aras deorum Penatium, in penetralibus aedium positas. v. Intpp. ad h. l.

V. 115. *Duras vias*] *Durae* viae sunt, quae multum molestiae vel periculi habent. Sic *durum iter* dixit Lucan. 9, 39. v. Burm. ad h. l.

V. 117. *Applicor ignotis*] Ingeniose Heins. ad h. l. et ad Virg. Aen. 1, 377. corrigit *Applicor his oris*. *Applicari* nauticum verbum est pro appellere navem, et construitur vel cum dativo, vel cum praepositione vel cum accusativo. Ep. 16, 126. *Applicor in terras, Oebali nympha, tuas*. Sed et *applicare* neutraliter dicitur, ut ap. Justin. 2, 4. *cum Hercules ad litus Amazonum applicuit*. Quod fugiebat Heinsium, qui in Ennii fragmento pro *quo applicem* scribere tentat *quo applicer?* v. Gesn. Thes. L.L.

Elapsa] *Elabi* eleganter dicuntur, qui e periculis feliciter evadunt. Mox v. 131. *Si tu cultor eras elapsis igne futurus*. Virg. Aen. 1, 242. *mediis elapsus Achivis*. Liv. 1, 53. *elabi inter tela et gladios*. Hinc saepe ap. Cic. *rei* dicuntur *elabi*, cum, quamvis noxii, artibus suis vel quacumque alia de causa absolvuntur, ut docet Ernest. clav. Cic. h. v.

V. 119. *Lateque patentia fixi Moenia*] Insolens locutio, nec ulli idoneo scriptori usurpata, *figere moenia*. Veram scripturam suppeditant MSS. *lateque patentia feci Moenia*. Sic v. 13. *facta* scil. moenia *fugis, facienda petis*. Heinsius etiam tentabat *jeci moenia*, quae loquendi forma non placebat Burmanno. Sed probam esse, ipse post docuit ad Virg. Aen. 5, 631. Errat autem Burmannus, ex uno cod. praeferens *lateque potentia moenia*. Justin. 18, 5. *emto loco, qui corio bovis tegi posset, corium in tenuissimas partes secari jubet, atque ita majus loci spatium, quam petierat, occupat*. Haec ap. Ovid. sunt *moenia late patentia*, et ex hoc Didonis dolo primum invidia, mox bellum natum.

V. 121. *Bella tument*] h. e. in eo sunt, ut erumpant. Virg. Geo. 1, 465. *fraudemque et operta tumescere bella*. Vell. Pat. 2, 15. *mors Drusi jam pridem tumescens bellum excitavit*. v. Intpp. ad h. l. et Ernest. Cl. Cic. v. Tumere. Minus recte Burm. metaphoram ductam putat a mari concitato. Nam sumta est a gemmis arborum, quae tumescunt, cum folia et flores parturiunt. Fast. 1, 152. *Et nova de gravido palmite gemma tumet*. 3, 238. *Uvidaque e tenero palmite gemma tumet*.

Et femina] *Et* ponitur pro et quidem, et vero. Cic. Verr. 4, 21. *hostis, et hostis in ceteris rebus nimis ferus*. Vell. Paterc. 2, 60. *Maluit avunculo et Caesari de se, quam vitrico, credere*. v. Tursell. de partic. p. 260.

Tentor] h. e. invador. Eodem modo quis dicitur *tentari morbo, fame* etc.

V. 122. *Vixque rudes*] Burm. e codicum vestigiis recte legit *Vixque rudis portas urbis ad arma paro*. Constructio haec est: Rudis ad arma vix paro portas urbis. *Rudis ad aliquid* Ovidius non uno loco dixit. Ep. 11, 48. *rudis ad partus*. Ep. 17, 141. *rudis ad Veneris furtum*. Liv. 10, 32. *ad verborum linguaeque certamina rudes*. v. Drakenb. ad 6, 18.

V. 123. *Qui me coiere*] Constructio est: qui coiere, querentes, me thalamis suis praeposuisse nescio quem. *Coire* Heins. explicat convenire. Sed potius significat societatem mali consilii inire, rei malae perficiendae caussa congregari. Cic. p. red. in sen. 7. *cum hoc coire ausus es, ut consularem dignitatem provinciarum foedere addiceres?*

V. 124. *Nescio quem*] Formula contemtum significans. Tib. 1, 7, 6. *Nescio quem tacita callida nocte fovet*.

V. 125. *Iarbae*] *Iarbas*, rex Libyae, Didonis nuptias ambiit, sed, repulsam ferens, Carthagini bellum intulit. v. Justin. 19, 8. et Serv. ad Virg. Aen. 4, 36.

V. 129. *Pone Deos*] h. e. depone simulacra Deorum, quae te jactas flammae eripuisse. Sic *ponere fulmina* pro e manibus deponere. Met. 2, 391. Lucan. 9, 198. *Invasit ferrum, sed ponere norat*. v. Drakenb. ad Liv. 6, 10.

Profanas] h. e. polluis, violas. Met. 4, 390. *spernitque Deum, festumque profanat*.

V. 131. *Cultor elapsis*] pro cultor elapsorum. Saepe dativus ponitur, ubi plerumque genitivus poni solet. Liv. 39, 1. *ad continendam Romanis disciplinam*. Senec. de ira 1, 9. *qui signum receptui negligit*. Justin. 1, 1. *intra suam cuique patriam regna finiebantur*. v. Duker. ad Flor. 2, 6. p. 323.

V. 135. *Accedet fatis etc.*] Versus scaber et ingratus propter tres voces in *is* exeuntes, cui medicina a melioribus libris exspectanda est. Nam Burmanniana conjectura nimis abit a vulgata lectione.

V. 140. *Premere humum*] poetice dicitur pro versari in regione. Am. 3, 6, 12. *Ulterior nostro ripa premenda pedi*.

V. 144. *Quanta fuere*] Eleganter *tanta*, sequente voce *quanta*, reticetur. Liv. 2, 10. *Agri, quantum uno die circumaravit, datum*. ubi v. Drak. Sic saepe dicitur *quantum potest* pro *tantum quantum potest*.

V. 145. *Tibridas undas*] Ovidius poetice formavit, ut *Cephisidas undas* Met. 1, 369 et *Maeotidas undas* Lucan. 3, 277. v. Heins. ad h. l. et ad Claud. IV. Cons. Honor. 180.

V. 147. *Utque latet*] Hic versus in multis codd. ita scriptus reperitur: *Utque juvet ventusque tuas, remusque carinas*. Quam lectionem prae-

fert Burmannus. Sed multo exquisitior, magisque poetica est vulgata Nam terra, quae longe remota est et difficilis inventu, venuste dicitur *vitare navem.* Eodem modo ap. Virg. Aen. 5, 629. 6, 61. Italia dicitur *fugere navigantes*, et 3, 496. *Arva neque Ausoniae semper cedentia retro Quaerenda.* v. Heins. ad h. l. Pari ratione *terra*, a qua recedimus, dicitur *recedere.* Ov. Met. 11, 466 *ubi terra recessit Longius*, *atque oculi nequeunt cognoscere vultus.* v. Drak. ad Sil. It. 3, 157.

V. 149. *Ambage remissa*] h. e. maritimo errore omisso. *Remittere* ponitur pro *omittere.* v. Heins. ad h. l. et Drak. ad Liv. 6, 16.

V. 150. *Pygmalionis opes*] Mirum est, Ovidium *Pygmalionis opes* vocare, quae erant Sichaei, mariti Didonis. v. Justin. 18, 4. Heinsius pro *advectas* legit *avectas;* sed eadem difficultas manet.

V. 151. *Tyriam urbem*] vocat Carthaginem, quod condita erat a Didone, Tyro profecta.

V. 152. *Hancque loco regis etc.*] Veram hujus versus scripturam e cod. Guelf. revocavit Heusing. *Inque loco regis regia sceptra tene. Locus regis* est locus regiae majestatis capax.

V. 156. *Hic pacis leges etc.*] h. e. hic locus aptus est, sive pacem colere velis, sive bellum gerere. *Capere* aliquid vel *capax esse alicujus rei* dicitur, qui quid sustinere, perficere, intelligere potest. Exempla ubique reperiuntur. v. Oud. ad Lucan. 1, 461.

V. 158. *Fugae comites*] h. e. fugae socios. Utrumque conjungit Statius 2. Sylv. 1, 29. *Diri comitem sociumque laboris.* v. Intpp. ad Lucan. 2, 346.

Dardana sacra] *Sacra* saepe dicuntur Dii. Supra v. 80. *Presserunt humeros sacra paterque tuos.* Met. 10, 701. *Sacra retorserunt oculos.* v. Broukh. ad Tib. 2, 5, 40.

V. 160. *Mars ferus*] h. e. bellum illud Trojanum sit finis damnorum tuorum, Trojae calamitas sit ultimum damnum, quod accipias.

V. 162 *Molliter ossa cubent*] Nihil usitatius hac formula in inscriptionibus sepulcralibus. Similis illa: *Sit tibi terra levis.*

V. 165. *Non ego sum Phthias*] h. e. mulier oriunda Phthia, patria Achillis. v. Heins. ad h. l.

V. 166. *Stare in aliquem* vel *adversus* aliquem est pugnare adversus aliquem. Contra *stare pro aliquo*, *cum* aliquo, *ab* aliquo, significat pugnare *pro aliquo.* Nepos Ages. 5. *Qui nobiscum adversus barbaros steterunt.* Trist. 1, 2, 5. *Mulciber in Trojam*, *pro Troja stabat Apollo.*

V. 168. *Quodlibet*] Ponitur pro *quaelibet.* Elegans est *quod* et *id,* pro *qui* et *is*, vel *qualis* et *talis.* Met. 2, 551. *Quid fuerim*, *quid simque*, *vides.* Ep. 12, 31. *Tunc coepi scire*, *quid esses.* ubi hanc elegantiam illustrat Heinsius. Liv. 30, 30. *quod ego fui ad Trasimenum*, *id tu hodie es* ubi v. Drakenb.

V. 169. *Freta frangentia litus*] Atqui non fluctus litora frangunt, sed litora frangunt fluctus, ut centies dicunt poetae. Probanda igitur Heinsii conjectura: *freta plangentia litus.* Ep. 19, 121. *Me miseram! quanto planguntur litora fluctu!* v. Burmann. ad Anthol. Lat. T. I. p. 490.

V. 174. *Si cupies*] *Si* ponitur pro *etsi.* Cic. div. in Caec. 2. *quam ob rem*, *si mihi unus est accusandus*, *etc.* ad Div. 12, 2. *qui si*, *ne ad me referent.* v. Drak. ad Liv. 33, 49.

V. 177. *Praebebimus ultra*] In aliis codd. legitur *ultro.* Quod si adsciscatur, non explicandum est *sponte*, sed *insuper.* Cic. p. Quint. 23. *qui cum ultro ipse deberet.* Suet. Tib. 11. *ultroque etiam admonitus est.* v. Duker. ad Liv. 21, 28 et Heusing. ad h. l.

V. 179. *Usu*] h. e. experientia. Ep. 17, 145. *Felices, quibus usus adest.* Liv. 38, 17. *Jam usu hoc cognitum est.* ubi v. Drakenb. *Edisco.* est penitus *disco.* *Fortiter* jungendum cum *pati.*

V. 184. *Troicus ensis*] Hunc Aeneas Didoni dono dederat. v. Virg. Aen. 4, 469.

V. 185. *Strictum ensem*] *Stringere ensem* est nudare, evaginare, pro quo saepe etiam dicitur *destringere ensem.* Hor. 3. Carm. 1, 17. *Destri-*

ctus ensis cui super impia Cervice pendet. v. Gron. ad Liv. 27, 13. et Heins. ad Fast. 2, 99 et 207.

V. 188. *Impensa brevi*] h. e. parva impensa, ut Ep. 18, 174. *brevis aqua* pro angusta. *Impensa* autem proprie dicitur de sumtu in apparatum funeris. Justin. 11, 6. *Impense humati ad ceterorum exemplum.* v. Heins. ad h. l. cujus tamen nimis subtilis est ratio.

V. 189. *Primo feriuntur telo*] Pro *primum feriuntur telo*, quam loquendi rationem supra explicuimus.

V. 192. *Ultima dona*] Sive quae injici in rogum et simul comburi solebant. Quem ritum explicat Kirchmann. de Funer. 3, 5.

V. 193. *Elissa Sichaei*] scil. uxor, quod saepe reticetur. Lucan. 2, 343. *liceat tumulo scripsisse Catonis Martia.* v. Intpp. ad h. l. et Perizon. diss. 1. p. 21. Dido autem non audebat, se Sichaei uxorem profiteri, quod post mortem ejus pudicitiam violaverat.

V. 194. *Carmen*] est titulus, inscriptio. Sil. It. 9, 266. *Signavit moriens sceleratum sanguine carmen.* ubi v. Drakenb.

Epist. VIII.

V. 1. *Fratrem*] h. e. fratrem patruelem vel filium patrui. Nam Hermione Menelai erat filia, Orestes Agamemnonis filius. Sic *soror* pro patrui filia Met. 1, 351 et aliis locis multis. v. Gronov. Obss. 2, 6. et Perizon. Anim. hist. p. 106.

V. 3. *Animosus*] h. e. superbus, magnos spiritus gerens. Met. 6, 206. *En ego, vestra parens, vobis animosa creatis.* Eandem rem ita expressit infra v. 43. *Ille licet patriis sine fine superbiat actis.* In bonam partem pro strenuo, forti *animosus* dicitur. Ep. 13, 91.

V. 4. *Contra jusque piumque*] h. e. contra jus fasque. Trist. 1, 2, 96. *Crimina defendi jusve piumve puto.* v. Drakenb. ad Liv. 9, 8. Ita etiam *licet* et *fas est* conjunguntur. Fast. 1, 25 et apud Lucan. 1, 359. ubi v. Oudend.

V. 5. *Quod potui*] h. e. quantum potui. Saepe sic Terentius, ut Intpp. ad h. l. docent. Liv. 26, 32. *Quod sine jactura rei publicae fieri posset.* ubi v. Gronov. Similis formula, *quod in me fuit*, qua saepe utitur Cicero, ut Verr. 4, 11. p. Dom. 13. v. Intpp. ad Sueton. Ner. 46.

V. 8. *Sub domino suo*] h. e. in potestate domini sui. Vell. Pat. 1, 3. *Athenae sub regibus esse desierunt.* Epigr. Anthol. Lat. 1, 103. p. 86. *Thessaliam et magnis esse sub Aeneadis.* Pronomen *mihi* eleganter abundat, ut saepe. v. Drakenb. ad Sil. Ital. 1, 46.

V. 9. *Surdior freto*] Proverbiali locutione dicitur homo inexorabilis. v. Met. 13, 804. Ep. 18, 211 et Bentl. ad Hor. 1. Serm. 3, 25.

Orestae] *Orestae* quasi a nominativo *Oresta.* De hac nominum propriorum forma, optimis scriptoribus usitata, v. Heins. ad h. l.

V. 13. *Parcius*] h. e. levius. Sil. Ital. 15, 759. *parceque petitum Perstrinxit corpus.* ubi v. Drak.

V. 16. *Injicere manus*] Est locutio e foro Romano ducta. Nam *manus injectio* dicebatur, quoties quis, nulla judicis auctoritate exspectata, rem sibi debitam vindicabat. v. Serv. ad Virg. Aen. 10, 419 et Brisson. de Verb. Signif. v. *Manus.* Ov. Am. 1, 4, 40. *Et dicam: mea sunt, injiciamque manus.* Fast. 4, 90. *Quem Venus injecta vindicat alma manu.*

V. 17. *Stabulis reclusis*] *Stabula recludere* est leniter illa aperire, quod non convenit raptori. Itaque probabilis est Burmanni conjectura: *si quis rapiat stabulis armenta revulsis.* Certe *revellere stabula* majoris est violentiae. Et saepe *reclusus* et *revulsus* in MSS. confunduntur, ut ap. Lucan. 3, 154.

V. 19. *Socer*] h. e. Menelaus, qui Helenam armis repetiit a Trojanis.

V. 21. *Vidua in aula*] Nempe propter raptam Helenam.

Sedisset] *Sedere* est quiescere, nihil agere, et proprie tribuitur inertibus et ignavis. Nep. Datam. 8. *congredi potius, quam tam diu uno loco*

sedere. Cic. ad Div. 6, 24. *puto utrumque ad aquas sedere.* Val. Max. 7, 4, 5. *cui apud moenia Trebiae armato sedendum foret.* v. Heins. ad Virg. Aen. 12, 237. et Intpp. ad Sil. Ital. 12, 64 et Ernest. Clav. Cic. h. v. MSS. in hoc verbo valde variant. Alii enim *sedisset* exhibent, alii *stertisset*, alii *plorasset. Stertisset* aptissimum sententiae, sed idem barbarum. Nam *stertuisset* dicendum esset, quod lex carminis respuit. Optimum fuerit, cum Cl. Oudend. legere: *Si socer ignavus vidua flevisset in aula.* Fast. 6, 444. *Non est auxilium flere, Metellus ait.*

V. 23. *Nec tu*] Legendum ex cod. Voss. *Nec mihi*, h. e. in meam gratiam.

V. 24. *Numeros*] Viri docti ad h. l. capiunt pro cohortibus, vel in universum pro ordinibus militaribus. Sic vocem jam Ovidii aetate usurpatam esse, Burm. ostendere conatur ex Amor. 3, 9, 67. *Auxisti numeros, culte Tibulle, pios.* Sed ibi *numeri* dicuntur generaliore multitudinis significatione. Certius Cl. Ernestus Clav. Cic. hunc usum aureae aetati vindicavit e Cic. ad Div. 11, 10. 12, 13.

V. 25. *Sic quoque etc.*] h. e. quamvis me per milites repetere deberes, tamen eram repetenda. Elegans est formula *sic quoque.* Fast. 2, 642. *sic quoque numen habes.* Suet. Aug. 78. *sic quoque saepe indigens somni.* v. Intpp. ad Lucan. 9, 528. ad Valer. Fl. 4, 598. et Duk. ad Flor. 2, 2. p. 238.

V. 30. *Instant officio*] h. e. impellunt te, ut praestes, quod debes.

Nomina bina] h. e. et quod vir es, et quod frater patruelis. Sic Met. 8, 484. *trahunt duo nomina pectus.* Venustum est loquendi genus, quod ex utriusque linguae scriptoribus illustrarunt Bentl. ad Hor. 3, Carm. 27, 34 et Cl. Valken. ad Eurip. Phoen. 415.

V. 31. *Tyndareos*] Graeca forma pro *Tyndareus*, ut Ep. 10, 99. *Androgeos* pro *Androgeus.* v. Heins. ad Virg. Aen. 2, 371.

Vita gravis auctor et annis] h. e. qui fide dignus est propter mores et senectutem. *Vita* pro moribus centies dicitur. *Anni* sunt senectus et longa aetas. Hor. 1. Serm. 1, 4. *O fortunati mercatores, gravis annis Miles ait.* Met. 9, 459. *fessos Rhadamanthon et Aeacon annis.* v. Drakenb. ad Liv. 9, 3.

V. 33. *At pater*] Heusing. bene corrigit: *Ut pater* etc. *Actum* raro dicitur substantive.

V. 34. *Plus quoque etc.*] Omnino legendum *avo* pro *avus*, ut Burm. vidit, hoc sensu: Demus, patrem meum, qui prior est ordine, plus posse, quam avum. Sed aequius est, avum vincere. Ille enim me tibi despondit eo tempore, quo neminem ea re laedebat, etc.

V. 36. *Si jungar*] *Jungi* simpliciter dicitur pro matrimonio jungi, nubere. Ep. 20, 215. *Nube, precor, dicet, cui te bona numina jungunt.* Liv. 1, 46. *se rectius viduam futuram fuisse, quam cum impari jungi.* ubi v. Drakenb. *Mihi* i. e. a me.

V. 38. *Praepetis Dei*] h. e. Amoris vel Cupidinis, qui a poëtis alatus fingitur.

V. 42. *Agere partes* est locutio e scena desumta. Art. Am. 2, 278. *Femina jam partes victa rogantis agat.* 2, 198. *Fac modo, quas partes ista jubebit, agas.*

V. 45. *Tantalides*] h. e. Agamemnon, cujus pater Atreus, avus Pelops, proavus Tantalus, abavus Jupiter. Unde mox Orestes *quintus a Jove* dicitur. v. Hygin. Fab. 124.

V. 46. *Militiae*] h. e. exercitus. Viri quidam eruditi dubitarunt, an vox *militia* hac significatione occurrat apud idoneos scriptores. Sed eos tum ex hoc Ovidii loco, tum ex aliis aliorum refellit Drakenb. ad Liv. 4, 26.

V. 49. *Virtute*] h. e. fortitudine bellica, ut Ep. 16, 81. *Regna Jovis conjux, virtutem filia jactat.*

V. 50. *Sed tu quid faceres?*] Elegans excusandi formula. Virg. Ecl. 1, 41. *Quid facerem?* Ep. 11, 51. *Quid faciam infelix?* v. Vales. ad Amm. Marcell. 28, 4.

Induit illa pater] h. e. pater causa fuit, cur arma in Aegisthum su-

meres. Nam pietas postulabat, ut filius patris mortem ulcisceretur. Saepe, qui alteri bellandi causam praebet, *arma illi induere* dicitur. Amor. 2, 18, 2. *Primaque juratis induis arma viris.* v. Heins. ad h. l. Clytemnaestrae caedem non diserte memorat Hermione, sed callide excusat.

V. 53. *Hanc tamen etc.*] h. e. hanc materiam, quam non elegeras, sed cujus causa ultro tibi oblata est, perfecisti, consummasti. Trist. 4, 3, 73. *Materiamque tuis tristem virtutibus imple.* v. Duk. ad Flor. 2, 14. p. 382.

V. 55. *Laudemque in crimina vertit*] h. e. caedem matris et Aegisthi, quae laudanda erat, crimini tibi vertit. Tacit. Ann. 2, 51. *Pergerent, properarent culpam in decus vertere.* v. Duk. ad Flor. 3, 3. p. 447.

V. 56. *Adspectus sustinet meos*] h. e. audet in conspectum meum venire. Caes. B. G. 7, 76. *Neque erat omnium quisquam, qui adspectum tantae multitudinis sustineri posse arbitraretur.* Justin. 11, 9. *ut hac mora consuescant oculis turbam hostium sustinere.* Plura ap. Burmann. ad h. l.

V. 57. *Rumpi*] dicuntur, qui sive iram, sive dolorem, sive invidiam, sive alium animi motum continere non possunt. Ep. 16, 221. *Rumpor, et invideo.* Rem. Am. 389. *Rumpere, livor edax.*

Ora mihi cum mente tumescunt] Iratis et os et pectus tumere solet. Hinc *tumere* pro irasci, *tumor* pro ira, *tumidus* pro irato ponitur. Art. Am. 3, 503. *Ora tument ira.* Ep. 11, 15. *tumidae non imperat irae.* Hor. A. P. 197. *Et regat iratos, et amet pacare tumentes.* ubi hanc significationem magna eruditionis ubertate illustrat Bentl.

V. 59. *Hermione coram*] Praepositio *coram* saepe postponitur casui suo. Ep. 11, 89. *Cum mea me coram* etc. Suet. Aug. 69. *viro coram.* ubi v. Oudend.

Objectet] Bene hoc frequentativum restituit Heins. Liv. 9, 34. *contagio ejus, quod quaerebat ipse, criminis objectata ab inimicis est.* ubi plura exempla habet Drakenb.

V. 61. *Flendo diffundimus iram*] *Diffundere* h. l. *minuere* est. Met. 9, 142. *Flendoque dolorem Diffudit miseranda suum.* Differt *defundere* et *diffundere.* Prius est fundere liquorem ex patera in aliam pateram, vel locum inferius positum: posterius liquorem ita in diversas partes fundere, ut pereat. v. Intpp. ad h. l. et Oudend. ad Lucan. 4, 82.

V. 64. *Perenne*] Pro *perenni.* De quo ablativo v. Voss. de Anal. 2, 11 et Oudend. ad Apul. Met. 11. p. 762.

V. 66. *Matres*] Dicuntur matronae, vel nuptae, licet nondum pepererint, ut Heins. ad h. l. demonstrat.

V. 69. *Porrectus longe freta distinet Isthmos*] *Distinere* est separare vel disjungere. Lucret. 5, 204. *Et mare, quod late terrarum distinet oras.* Caes. B. G. 7, 59. *Legiones flumen distinebat.* v. Serv. ad Virg. Aen. 11, 381 et Heins. ad h. l. et ad Rem. Am. 486. *Longe* cum *porrectus* jungendum, non cum *distinet.* Nam Isthmus Corinthiacus angustus est.

V. 70. *Vecta peregrinis*] h. e. avecta curru hominis peregrini. *Peregrinus* erat Pelops, nempe ex Paphlagonia oriundus. Hippodamia vero *vecta* Pelopis *curru* dicitur, quod pater Oenomaus eam procis concedebat, ut eodem curru sedentem veherent. Atque ea ratione Pelops, certaminis victor, illam curru suo avexit. Propert. 1, 2, 20. *Avecta externis Hippodamia rotis.* ubi v. Intpp.

V. 71. *Amyclaei*] Hi fratres dicuntur ab Amyclis, urbe in agro Laconico.

V. 72. *Taenaris*] Helena dicitur a Taenaro, oppido et promontorio Laconicae regionis. v. Heins. ad h. l. Eam fratribus, Castori et Polluci, reddidit Theseus, a quo admodum puella rapta erat, ut Ep. 5. vidimus.

Mopsopia] est antiquum nomen Atticae regionis et Athenarum. v. Steph. Byz. h. v. Metam. 5, 661. 6, 423.

V. 77. *Phoebeque soror*] Non Hermiones, sed Ledae, ut Intpp. docent.

Fratres] h. e. Castor et Pollux.

V. 82. *Neoptolemo*] Achillis filio, qui alio nomine *Pyrrhus* vocatur.

Praeda parata] i. e. facili, quae quasi in manibus ac praesto est.

Curt. 5, 1. *praedam opimam paratamque ipsum et milites ejus spectare.* Tac. Ann. 16, 2. *mittit, qui velut paratam praedam aveherent.* ubi v. Ernest. Sic Liv. 5, 5. *parata victoria frui.* ubi v. Drakenb.

V. 83. *Apollinis arcus*] Achilles, cum, Hectore sepulto, jactaret, se solum Trojam expugnasse, Apollo iratus, Parin se simulans, talum, quem unum vulnerabilem habebat, sagitta percussit, et sic eum occidit. v. Hygin. Fab. 107. Serv. ad Aen. 6, 56.

V. 87. *Coelestes iniquos*] *Aequi Dii* sunt propitii, faventes; contra *iniqui*, irati. Sil. It. 3, 2. *Non aequo Superûm genitore.* ubi v. Drakenb.

V. 88. *Sidus obesse*] Credebant veteres, sidera vim quandam in res humanas habere, et quidquid homini eveniat, pendere a positione stellarum, quae sub ejus nativitatem fuisset. Haec futilis doctrina a Chaldaeis ad ceteras gentes manavit. v. Censorin. de D. N. 8. Saepe eo respiciunt poetae, ut Propert. 1, 6, 36. *Vivere me duro sidere certus eris.* Ov. Ibid. 209. *nec ulla Commoda nascenti stella, levisque fuit.* v. Cuper. Observv. 2, 17.

V. 92. *Incerto ore*] h. e. voce balbutiente, qualis est infantum verba tentantium. Quinct. Inst. Or. 1, 1, p. 20. *Futurus eloquentissimus dedit aliquando vagitum, et loqui primum incerta voce tentavit.* ubi v. Intpp.

V. 93. *Captare collum lacertis*] est saepe conari collum amplecti. Ep. 21, 200. *Captantem tactus rejicioque manum.* Met. 9, 33. *Et modo cervicem, modo crura micantia captat.* v. Intpp. ad Met. 3, 389.

V. 95. *Nec pacta marito*] *Nec* sensu dissolvendum hoc modo: *et pacta marito non intravi thalamos.* Sall. Jug. 56. *ubi se dolis fatigari videt, neque ab hoste copiam pugnandi fieri.* Liv. 32, 10. *nec Philippum ab ullis bello lacessitum, ipsum priorem vim omnibus fecisse.* ubi v. Intpp. *Pacta viro* proprie dicitur puella, cum conditiones de nuptiis convenerunt. Ep. 10, 92. *Quae tibi pacta fui.* Ep. 21, 185. *quod adhuc tibi pacta puella Non tua fit.* Sed ut Latini plerumque dicunt, *puellam viro pactam*, sic raro, *virum puellae pactum.* Liv. 44, 30. *Fama fuit, Dardanorum principes filiam pacto fratri eum invidisse.* ubi elegans est nota Dukeri.

V. 100. *Requirebas*] pro simplici quaerebas, ut Ep. 20, 131.

V. 101. *Pars haec una mihi*] h. e. in una parte felix fui, quod Orestem conjugem invenerim. Nisi potius de Heinsii conjectura legendum sit: *Sors haec una mihi* etc. *Bene cedere* dicitur, quod prospere evenit; *male cedere*, quod secus. Ep. 10, 141. *Non te per meritum, quoniam male cessit, adoro.* Hor. 2. Serm. 1, 31. *neque si male cesserat, usquam Decurrens alio, neque si bene.* ubi v. Bentl.

V. 104. *Munus et hoc etc.*] Meliorem lectionem ex MS. Guelf. protulit Heusing. *Hoc munus nobis diruta Troja tulit.* *Munus* vocat novum maritum, Pyrrhum, quem pater a Troja diruta secum duxerat.

V. 105. *Altus equis Titan etc.*] Poetica diei descriptio. Ep. ex P. 2, 8, 50. *Purpureus niveis filius instet equis.*

V. 107. *Acerba gementem*] *Acerba* dicitur pro *acerbe* adverbio, ut saepe adjectiva neutra in plur. pro adverbiis usurpantur; vel sumendum pro acerbitates. Amor. 3, 6, 49. *Gemens patruique nefas delictaque Martis.*

V. 109. *Funguntur*] *Fungi* saepe ad res inanimatas transfertur, significatque agere aliquid vel praestare. Fast. 4, 824. *Et novus accenso fungitur igne focus.* ubi v. Heins. Inprimis ap. Ictos res, quae officium suum praestat, *fungi* dicitur, ut *fungi monumentum* in L. 43. D. de rei vind. in quod corpus infertur. v. Brisson. de V. S.

V. 110. *Fugere ab hoste*] aeque dicitur, ac fugere hostem. Trist. 1, 5, 66. *A patria fugio victus et exsul ego.* Cic. p. Cluent. 66. *non illa ut a crudelissimo hoste fugisset.*

V. 112. *Scyria membra*] h. e. corpus Pyrrhi, qui Achilli natus erat ex Deidamia, puella Scyria. Art. Am. 1, 682.

Ignara manu] *Ignarus* transfertur ad rem vita carentem, ut saepe cognata vocabula *conscius, nescius, inscius.* Val. Fl. 1, 69. *ignaras Cereris qui vomere terras Imbuit.* Ov. Ep. 12, 49. *Lumina custodis succumbere nescia somno.* v. Swarz. ad Plin. Paneg. 54.

V. 114. *Credor*] i. e. videor. Art. Am. 2, 638. *Et credi, quod non contigit esse, cupit.*

V. 118. *Sua regna*] i. e. coelum, quod in divisione regni paterni Jovi obvenit.

V. 120. *Quod se sub tumulo*] Melior est cod. Lovaniensis lectio: *Quod sic sub tumulo etc.* Neque enim ossa se vindicarunt, sed Orestes patris caedem caede matris et Aegisthi ultus est. *Ultus* passive sumitur, ut saepe etiam compositum *inultus.* Met. 7, 3. *Phineus ultus erat.* ubi v. Heins.

Epist. IX

V. 1. *Oechalia*] Urbs in Euboea insula sita, ab Hercule expugnata est, et deleta, cum ejus rex Eurytus ipsi filiam suam Iolen in matrimonium negasset. Met. 9, 136 sqq.

V. 2. *Victorem victae*] Elegans est oxymoron. Sen. ap. Augustin. de C. D. 6, 11. *Victi victoribus leges dederunt.* Rutil. Num. 1, 398. *Victoresqae suos natio victa premit.* v. Heins. ad Ep. 20, 70 et Huet. ad Manil. 4, 30.

V. 3. *Pelasgiadas*] h. e. Graecas. Pelasgi vetustissimi Graeciae populi fuerunt.

V. 4. *Decolor fama*] est deformis, pudenda. Sic *decolorare aliquem* pro infamem reddere est ap. Quinct. Decl. 360. v. Intpp. ad h. l.

Inficianda] h. e. non agnoscenda, non fatenda, quia turpis est, nec convenit factis tuis. Amor. 2, 17, 26. *Non erit hic nobis inficiandus amor.*

V. 6. *Fregerit*] h. e. debilitaverit, fatigaverit. Cic. p. Red. in Sen. 15. *Nam quid est, quod animum meum frangere aut debilitare possit?* p. Dom. 36. *qui me animo nimis fracto esse atque adflicto loqaebantur.* Nep. Eum. 5. *Sed exiles res animi magnitudinem, etsi non frangebant, tamen imminuebant.*

V. 7. *Hoc velit*] h. e. hoc summe cupiat. Virg. Aen. 2, 104. *Hoc Ithacus velit, et magno mercentur Atridae.*

V. 10. *Non tanti, ut tantus conciperere, fuit*] Alludit ad fabulam, qua Jupiter fingitur concubitum, quo Hercules satus est, per tres vel plures noctes continuasse. Veterum loca, quae eo pertineant, collegit Cel. Hemsterh. ad Luc. Somn. p. 21. Tenenda autem lectio *non tanti*, quae multo elegantior est altera *non tanta.*

V. 12. *Humili sub pede etc.*] Nempe more victorum, qui hostium corpora, inprimis caput et cervicem, pedibus calcare solebant. v. Broukh. ad Propert. 1, 14. Ut hic Ovid. dixit *sub pede colla tenere*, sic Rem. Am. 530. *sub pede colla premere.* v. Markl. ad Stat. Sylv. 1, 1, 51.

V. 13. *Vindicibus*] Cum *viribus* jungitur ut adjectivum. Met. 1, 230. *vindice flamma.*

V. 15. *Tota aequora*] Legendum, ut Heins. vidit, *tuta aequora.* Sensus est: tibi debetur, quod aequora tuto navigari possint. Nam Hercules et terram et mare tutum praestitit variis monstris domandis. v. Met. 9, 135 sqq. Eadem loquendi forma Met. 2, 644. *tibi se mortalia saepe Corpora debebunt.* i. e. Aesculapio salutem acceptam referent.

V. 16. *Solis utramque domum*] h. e. orientem et occidentem. Senec. Herc. Oet. 3. *Utraeque Phoebi sentiunt fulmen domus.* v. Burm. ad h. l.

V. 18. *Hercule etc.*] Cum Atlas onere coeli fatigatus esset, ad tempus sibi suppossuit, i. e. substituit, Herculem et ejus vicaria opera coelum fulsit vel fulcivit. v. Met. 9, 198.

V. 20. *Si macula stupri etc.*] Praestat nonnullorum codicum lectio: *Si cumulo stupri facta priora notas* (v. Heusing.) hoc sensu: si post tot amores cumulo stupri servilis facta tua priora infamia reddis. Verbum *notare* in deteriorem sensum usurpatur, ut Ep. 2, 86.

V. 25. *Stheneleïus hostis*] h. e. Eurystheus, Stheneli filius.

V. 27. *Quia nominer*] Bene Heins. e libr. MSS. edidit *qaia nominer.*

Nam *quia* etiam cum subjunctivo construi, multis exemplis demonstrat Drakenb. ad Liv. 2, 8.

V. 28. *Rapidis qui tonat altus equis*] h. e. Jupiter, qui, cum tonat, a poetis fingitur celeri curru coelum quatere. v. Hor. 1. Carm. 12, 58. 34, 5.

V. 30. *Magno conjuge*] h. e. potente, nobili, ut Ep. 16, 331. *Ibis Dardanias ingens regina per urbes.* Hor. Ep. 4, 15. *Magnus inprimis eques.* Contra *parvus senator* ap. Hirt. B. Afr. 57. quod Davisius frustra mutat in *pedarius senator.*

V. 31. *Non honor est* etc.] *Honor* et *onus* saepe sibi opponuntur per paronomasiam. v. quae adnotavimus ad Rutil. Lup. 1. p. 14.

V. 32. *Si qua velis apte nubere*] h. v. Ovidius expressit e Callim. Epigr. 1, 16. ut Cl. Ernestius vidit.

V. 33. *Conjuge notior hospes*] h. e. notior mihi est, ut hospes, quam ut conjux, quia plerumque abest.

V. 35. *Votis operata pudicis*] i. e. pia vota faciens. *Operari* proprium est verbum sacrorum. Tibull. 2, 5, 95. *Tunc operata Deo pubes.* ubi v. Broukh. Liv. 1, 31. *ipsum regem tradunt operatum his sacris se abdidisse.* Jul. Obseq. 72. *ut circa sacella operaturus sederit.* v. Heins. ad h. l. et Drak. ad Liv. 10, 39.

V. 36. *Ne ab hoste cadat*] Dubitat Heinsius ad Metam. 5, 192. an satis latina sit locutio *cadere ab hoste.* Sed idoneos scriptores sic locutos esse, constat multis exemplis. Suet. Oth. 5. *ab hoste in acie cadit.* Plin. H. N. 11, 37. *cum periit Marcellus ab Hannibale.* v. Burm. ad Metam. l. c.

V. 37. *Inter serpentes etc.*] Non ipsa Deïanira inter haec monstra versabatur, sed quotidie cogitabat, se inter illa jactari. *Serpens* est hydra Lernaea; *aper* est Erymanthius; *leo* est Nemeaeus vel Cleonaeus.

V. 38. *Esuros terna per ora canes*] Sic locum ingeniosissime restituit Heinsius, qui ante eum corruptissimus circumferebatur. Intelligitur Cerberus, quem poetae tricipitem vel trifaucem faciunt.

V. 39. *Simulacra inania somni*] h. e. somnia. Ep. 13, 111. *simulacraque noctis adoro.*

V 40. *Ominaque arcana nocte petita*] sunt omina, quae nocte per magica sacra capiebantur. Etiam Stat. Theb. 10, 360. noctem, in qua talia sacra fiebant, *arcanam* vocat. *Arcana* omnia dicuntur in sacris, praesertim magicis, quibus vis quaedam occulta inesse credebatur. Val. Flacc. 6, 477. *Cingitur arcanis Saturnia laeta venenis.* v. Intpp. ad h. l.

Movent] Non est mutandum in *monent.* Nam *movere* h. l. est terrere, perturbare, anxium reddere. Stat. Theb. 2, 263. *cunctos tamen omina rerum Dira movent.* Sylv. 3, 2, 52. *Quamvis movet ominis horror.* ubi v. Markland.

V. 41. *Aucupor* etc.] h. e. studiose capto rumores. Ep. 13, 107. *Aucupor in lecto mendaces caelibe somnos.* Sen. Theb. 361. *Hic aucupabor verba rumoris vagi.* v. Markl. ad Stat. Sylv. 1, 4, 119.

V. 42. *Speque timor dubia*] *Timor cadit*, quum magis speramus, quam timemus; *spes cadit*, quum magis timemus, quam speramus.

V. 43. *Mater*] i. e. Alcmena, quae placuerat Jovi. Mox ante *placuisse* intelligendum pronomen *se*, quod centies omittitur.

V. 44. *Puer Hyllus adest*] *Puer* est filius. *Hyllus* natu maximus filiorum Herculis ex Deïanira.

V. 45. *Arbiter*] *Arbiter irae* dicitur, qui ex arbitrio suo iram Junonis exsequebatur.

V. 46. *Sentitur nobis*] h. e. a nobis. *Sentire* aliquid significat magno suo damno aliquid experiri. Sen. Oed. 471. *Regna securigeri Bacchum sensere Lycurgi.* Petron. 139. *Junonem Pelias sensit.* Flor. 3, 2. *arma nostra sensere.* ubi. v. Duker. Adde Drak. ad Liv. 2, 30.

V. 49. *Auge*] Alei, regis Arcadiae, filia, ab Hercule compressa peperit Telephum. v. Hygin. Fab. 99. et quos ibi laudat Munker.

V. 50. *Ormenis*] Astydamia, Amyntoris, regis Ormeniorum, filia, ex

qua per vim abducta Hercules procreavit Ctesippum. v. Diod. Sic. 4. p. 282. et ibi Wesseling.

V. 51. *Theutrantia Turba*] Sic vocat quinquaginta filias Thespii, qui fuit filius Theutrantis, Pandionis nepos. Has omnes Hercules una nocte masculo facinore compressit, ex quibus nati sunt quinquaginta filii. v. Diod. Sicul. 4. p. 273. et ibi Wessel.

V. 53. *Praefertur*] Inepta est lectio *praefertur*, quae locum cedere debet alteri *referatur*. Nam Deïanira hanc historiam plenius vult referre; ceteras strictim attigerat. Loquitur autem de Omphale, Lydiae regina, ex qua Herculi natus est filius Lamus, non de Iole, ut Heinsius per festinationem cepit ad h. l. et ad v. 78.

V. 55. *Terris errat in isdem*] Elegans flexuosi et curvi fluminis descriptio. v. similem ap. Ov. Met. 8, 162. Proprie etiam Maeandro tribuitur verbum *errare*. v. Heins. ad h. l.

V. 58. *Illo*] Unus Heinsii cod. legit *collo*, quae repetitio multum elegantiae habet.

V. 59. *Auro cohibere*] h. e. aureis armillis vincire. Hor. 3. Carm. 14, 22. *nodo cohibere crinem.* ubi v. Bentl.

V. 61. *Pestis Nemeaea*] h. e. leo Nemeaeus, quem Hercules elisit.

V. 62. *Animam, spiritum, vitam edere* saepe ponitur pro mori; rarius est *aetatem edere* pro exigere, quo Gell. 3, 15. utitur. ubi v. Gron.

V. 65. *Maeonia zona*] h. e. Itrophio Lydia usitato vel fascia pectorali, qua virgines turgentes papillas cohibebant. Prop. 4, 9, 49. de Hercule *Mollis et hirsutum cepit mihi fascia pectus.*

V. 67. *Crudi*] h. e. crudelis, ut Amor. 3, 8, 58 *Ili pacem crudaque bella gerant.* Diomedes, rex Thraciae, equos suos carne humana pascebat, ob quam crudelitatem ab Hercule occisus est. v. Metam. 9, 194 et ibi Intpp.

V. 69. *Busiris*] Neptuni filius, in Aegypto hospites Diis immolabat. Historiam vel fabulam plenius narrat Ov. Art. Am. 1, 647.

V. 71. *Antaeus*] Terrae filius, in Libya hospites cogebat secum luctari, et victos interficiebat. Quem Hercules luctando necavit. v. Hygin. Fab. 31.

V. 73] *Calathus*] Vas vimineum, in quo mulieres pensa servant. Mox *calathi rasiles* dicuntur, quod vimium cortex radi et laevigari solebat.

V. 75. *Fugis*] h. e. metuis, abstines. Tibull. 1, 4, 69. *O fuge, te tenerae puerorum credere turbae.* Ov. Trist. 4, 3, 55. *nisi si fugis illa referre.* v. Heins. ad h. l.

V. 78. *Famosus* apud meliores scriptores est infamis. Imprimis *famosae* dicebantur feminae impudicae et malae famae. Cic. de Or. 2, 168. *me mater vetuit ad famosas ire.* Id. ap. Non. Marc. p. 306. *si qua erat famosa, ei cognati osculum non ferebant.* v. Heins. ad h. l. et Ernest. ad Suet. Tib. 35.

V. 81. *Scutica* est flagellum, *habenae* lorum a flagello dependens. Hor. 2. Ep. 2, 15. *metuens pendentis habenae.* Ulpian. 1, 1. §. 33. D. de Sc. Silan. *impuberes terreri tantum solent, et habena vel ferula caedi.*

V. 85. *Elidere* proprium est in hac re, notatque premendo comprimere et constringere. Hor. 3. Carm. 27, 60. *zona bene te secuta elidere collum*, ut verissime legit magnus Bentleius. Sen. Herc. Fur. 221. *Et tumida tenera guttura elidens manu.* Flor. 3, 3. p. 455. *suffocatis elisisque passim infantibus.* ubi v. Duk.

V. 86. *Infans manus* dicitur pro manus infantis. Fast. 4, 208. *Tutus ut infanti vagiat ore puer.* Plin. H. N. 22, 22. *nec tunicae minor gratia in cibo infantis boleti.* v. Heins. ad h. l. et Bentl. ad Hor. 2. Serm. 5, 40.

Cunis] Egregie Heins. pro *cunis*, vel, ut alii MSS. habent, *caudis*, emendat *nodis*, h. e. spiris serpentum. Virg. Aen. 2, 220. *Ille simul manibus tendit divellere nodos.*

V. 87. *Tegeaeus*] Dicitur a Tegea, urbe Arcadiae, prope Erymanthum montem, a quo saepe etiam *Erymanthius aper* vocatur. Ceterum Burmannus recte monet, scribendum esse *Tegeeus* per *e* simplex in

penultima, in cujus tamen editione Art. Am. 2, 55. male scribitur *Tegeaea virgo* per *ae*.

V. 89. *Non* interrogative ponitur pro nonne, ut v. 67: *Non tibi succurrit?* Liv. 4, 4. *hoc ipsum non Decemviri tulerunt?* ubi v. Drakenb.

V. 91. *Armenti dives*] *Dives* jungitur cum casu secundo, ut *dives opum* ap. Virg. Aen. 1, 14. Multa exempla habet Heins. ad Sil. Ital. 6, 649.

V. 92. *Geryones*] Rex Hispaniae, fingitur habuisse tria capita et sex manus. Idem habebat armenta pulcherrima, quae Hercules, occiso eo, abduxit. v. Diod. Sic. 4. p. 262. et Serv. ad Aen. 7, 662.

V. 94. *Angue minante*] Poetae saepe *minas* tribuunt serpentibus, ictu nocentibus. Met. 2. 199. *curvata minitantem cuspide.* Lucr. 3, 658. *minantis Serpentis caudam* Lucan. 1, 658. *qui flagrante minacem Scorpion incendis cauda.*

V. 95. *Serpens*] Intelligit hydram Lernaeam, cujus capita, quae a nonnullis mythologis ad centum augentur, desecta semper renascebantur, donec Hercules ea funditus excidit. v. Serv. ad Aen. 6, 287. 576. Hygin Fab. 30. et ibi Munker.

V. 96. *Damnis dives*] Similis locus Justin. 27, 2. *Laetus malis suis et damnis ditior redditus.*

V. 97. *Quique*] Nempe Antaeus, de quo v. ad v. 71.

V. 99. *Et male*] Intelligit Centauros.

V. 101. *Insignitus*] De h. v. vid. Intpp. ad Liv. 7, 6. *Sidonius* ponitur pro Tyrius vel purpureus. v. Virg. Aen. 1, 446. et ibi Serv.

V. 103. *Nympha Iardanis*] h. e. Omphale, Iardani, Lydorum regis, filia. v. Diod. Sic. 4. p. 276.

Ornare saepe i. q. armare. Liv. 1, 43. *pedestri exercitu ornato distributoque.* Tac. Hist. 3, 63. *exercitus ad proelium intentus ornatusque.* Similiter dicitur *ornare classem*, *naves.* v. Intpp. ad h. l. Duker. ad Flor. 1, 16. p. 141. et Intpp. ad Liv. 24, 48.

V. 104. *Capto — viro*] Proprie res est *capta*, homo *captivus.* Sed hoc discrimen saepe negligitur, ut v. 125. *Non venit incultis*, *captarum more*, *capillis.* Contra *captiva res* ap. Liv. 2, 48. *captivum agrum plebi aequaliter darent.* v. Drakenb. ad Liv. 6, 22.

V. 105. *Tollere animos* significat superbum esse. Liv. 35, 1. *Nec dubium est*, *quin omnis Hispania sublatura animos fuerit.* Sed *tollere animos* etiam notat efficere, ut alius animos tollat. Justin. 1, 4. *ne paterna maternaque nobilitas nepoti animos extolleret.* Anthol. Lat. 3, 70. p. 511. *Hoc animos tollit nempe*, *beate*, *tuos.* v. Freinsh. ind. Flor. v. Tollere et Drakenb. ad Liv. 3, 67.

Fortia facta] MSS. magno numero *fortia gesta.* Sic Nep. Datam. 1. *obscuriora sunt ejus gesta pleraque.* v. Heusing.

V. 106. *Quod*] Eleganter ponitur pro *qui.* Hunc usum illustravimus ad Ep. 7, 168. *Vir* h. l. est vir fortis. Sallust. Cat. 40. *Si modo viri esse vultis.* Liv. 3, 67. *Si viri arma illa habuissent.* ubi v. Drakenb.

V. 107. *Qua tanto minor est*] Constructio haec est: *Maxime rerum*, *tanto minor es*, *qua*, nempe Omphale, *quanto majus erat*, *vincere te*, *quam quos vicisti.*

V. 109. *Illi procedit*] h. e. quidquid tu gessisti, cedit in ejus laudem. Locutio viris doctis translata videtur e re militari, ubi *stipendia* vel *aera procedere* dicebantnr militibus, quibus anni, quos militabant, ad missionem honestam proderant. v. Gron. ad Liv. 5, 48. et Intpp. ad h. l.

V. 110. *Cede bonis*] i. e. adscribi illi res a te gestas. Loquendi formula e jure petita, ubi *bonis cedere* dicitur debitor, qui creditoribus bona sua concedit. v. Briss. de V. S. v. Cedo.

V. 111. *Proh pudor*] De hac exclamatione, quae in turpibus et pudendis rebus usurpatur. v. Heins. ad h. l. et Drak. ad Sil. It. 11, 90. Vulgatae editiones: *Oh pudor*! quod tuetur Bentl. ad Hor. 3. Carm. 5, 38.

Hirsuti costas] Superiores edd. habent *costis exuta*, quod infeliciter mutavit Heinsius, in viam reductus a magno Bentl. ad Hor. 3. Carm. 5, 38. Constructio est: *Vellera aspera exsuta costis Leonis hirsuti texe-*

runt latus molle, nempe Omphales. Sensus est: Omphalem pellem, quae leonis costis detracta erat, induisse.

V. 114. *Ferus* pro *fera* frequens poetis. v. Met. 8, 355. Intpp. ad Phaedr. 1, 12, 9. et Heins. ad h. l.

V. 115. *Tela atra venenis*] *Atrum* saepe poetae dicunt mortiferum, funestum. Met. 3, 64. *et atrae Duritia pellis.* ubi v. Burm.

V. 117. *Clava*] Hinc saepe Hercules *claviger* dicitur, ut a Sil. Ital. 3, 14. ubi v. Intpp.

V. 120. *Sensus*] Propria ratione dicitur de oculis et visu, quod oculorum sensus, ut Hor. ait A. P. 180., multo acrior est sensu aurium. Cic. div. in Caecil. 11. *non aeque acerba videntur iis, qui audient, atque illis visa sunt, qui senserunt.* v. Burmann. ad h. l.

V. 121. *Ante oculos*] h. e. in conspectu. Ep. 21, 82. dixit *in oculis.* Liv. 37, 38. *cum in oculis populatio esset.* ubi v. Drak. Hinc autem Deïanira incipit de Iole dicere.

V. 123. *Non sinis averti*] Male h. l. corrigit et interpretatur Burm. Sensus hic est: Cum Iole per mediam urbem magnifice ornata incedit, non sinis vel me, vel oculos meos averti. Sic *averti* absolute dicitur pro respicere Met. 5, 214. Sic *aversa ora* Ep. 12, 63.

V. 126. *Fortunam* etc.] Hunc versum aliquid vitii traxisse a librariorum incuria, non solum varietas lectionis docet, sed etiam syllaba *do* correpta in gerundio, quam omnes aureae aetatis poetae producunt. v. Broukh. ad Tib. 3, 6, 3. Ex variis virorum doctorum conjecturis maxime placet Heusingeri: *Fortunam cultu fassa decente suam.*

V. 127. *Ingreditur*] His verbis egregie exprimitur fastus incedentis cubitis ansatis. Hor. 2. Serm. 3, 183. *Latus ut in Circo spatiere.* ubi v. Bentl. Sed melius videtur *late* ad *spectabilis* referre. *Lato auro* i. e. vestibus, quae habent latas virgas aureas. Met. 6, 566. *velamina Procnae Deripit ex humeris, auro fulgentia lato.* v. Heins. ad h. l.

V. 129. *Sublime*] *Sublime* pro sublimiter, adject. neutrum pro adverbio. v. Heins. ad h. l. Sed elegantior est altera MSS. lectio *sublimis ab Hercule victo.* Praepos. *ab* significat ob, propter, ut exemplis demonstravimus ad Ep. 2, 86.

V. 131. *Pulsa*] h. e. repudiata, ut Met. 2, 525. *pulsa ducat Junone.* v. Heins. ad h. l.

V. 134. *Corpora*] Non *animos* dicit, sed *corpora*, per contemtum, quod non legitimus amor erat, sed adulterium.

V. 135. *Admonitu*] h. e. ad recordationem. Ep. 14, 17. *Cor pavet admonitu temeratae sanguine noctis.* Ep. 10, 42. *oblitos admonitura mei.*

V. 136. *Languida facta*] Saepe Ovidius partic. *factus* sic utitur, ut redundare videatur. Ep. 20, 82. *Oraque sint digitis livida facta tuis.* ubi vim exemplorum congessit Heins.

V. 139. *Cornua* etc.] Fabula haec est: Achelous fluvius simul cum Hercule Deïaniram in matrimonium petiit. Cujus in taurum mutati dextrum cornu confregit Herculis, quod a Nymphis omnibus bonis repletum est, et deinceps Cornu Copiae appellatum. v. Met. 9. princ. et Hygin. Fab. 31.

V. 141. *Semivir occubuit*] Nessus Centaurus eandem Deïaniram per vim stuprare conatus est, quem Hercules, cum mulier fidem ejus implorasset, sagitta interfecit. v. Hygin. Fab. 24. et ibi Intpp. Ceterum Heins. bene emendat *Semifer.* Nam *Semivir* est effeminatus, *semifer* vel *semiferus* Centaurus ex parte vir, ex parte ferus vel equus. Porro e Ms. legendum *in taurifero Eveno.* Nam Epitheton *letifer* non convenit fluvio, qui non ipse letum attulit Centauro, sed in quo ille ab Hercule occisus est.

V. 142. *Inficere* est veneno corrumpere. Ov. in Ibin. 244. *Nevit et infecta stamina pulla manu.* Plin. H. N. 18, 1. *Nos et flumina inficimus et rerum naturae elementa.* Justin. 21, 4. *pocula veneno infecta.*

V. 143. *Sed quid ego haec refero?*] Hac formula utimur, cum nosmet ipsos revocamus. Val. Max. 9, 1, 2. *Sed quid ego de feminis ulterius loquor?* Lucan. 2, 642. *Sed quid plura moror?* ubi v. Oudend.

V. 144. *Tunicae tabe perire*] Nessus moriens Deïanirae persuasit, vestes suo sanguine infectas philtri vim habere. Hercules igitur cum talem tunicam accepisset et induisset, acerrimo dolore exarsit, prae cujus impatientia se vivum combussit. v. Ov. Met. 9. princ. Hyg. Fab. 36. *Tabes* proprie est sanies, sanguis corruptus et putrescens. v. Lucan. 4, 321. et ibi Burm.

V. 145. *Quo me furor egit amantem?*] Elegantius est, quod Ms. habet: *quis me furor* etc. Met. 5, 13. *Quae te, germane, furentem Mens agit in facinus?* v. Burm. ad h. l.

V. 147. *Oeta* est Thessaliae mons, in quo Hercules se combussit.

V. 153. *Agrius* Deïanirae patrem, Oenea, Aetoliae regno expulit. v. Hygin. F. 175. 242. et Intpp. ad h. l.

V. 156. *Alter fatali* etc.] Cum Althaea Meleagrum peperisset, Parcae venerunt praedicentes, tum Meleagrum extinctum iri, cum stipes in foco accensus combustus fuerit. Mater igitur, ut filium servaret, stipitem ex igne raptum in arca condidit, sed postea, caede fratrum irritata, stipitem combussit, et filio mortis causa fuit. Sic narrant Apollod. 1, 8. p. 29. Diod. Sicul. 4. p. 280. ubi v. Wessel. Convenit etiam Ov. Met. 8, 445 sqq. Fast. 5, 305. ubi *flammis absentibus arsisse* dicitur. Apparet igitur, h. l. corruptum esse, quem ita Cl. Oudend. corrigebat: *Alter fatali stipes in igne fluit* h. e. evanescit, dum stipes in igne ardet, sc. per sympathiam quandam.

V. 157. Verbo *exigere* poetae frequentissime utuntur pro trajicere, confodere, capulo tenus transadigere. Virg. Aen. 10, 682. *et crudum per costas exigat ensem.* Sen. Herc. Oet. 845. *Eat per artus ensis exactus meos.* Quinct. Decl. 3. p. 41. *gladium per pectus infanti corruptoris exegit.* v. Gron. ad Sen. Cons. ad Marc. 16. et Intpp. ad Sil. Ital. 1, 307 et 642.

V. 161. *Avidum*] Nempe mei, quam rapere et stuprare conabatur. Amor. 3, 8, 58. *Tantum ne nostros avidi praedentur amores.*

V. 163. *Texta*] h. e. tunicam textam. Ep. 17, 223. *Purpura nempe mihi pretiosaque texta dabuntur.*

V. 165. *Jamque vale*] Ultima vox est morientium ad amicos adstantes. Am. 2,6, 48. *Clamavit moriens lingua: Corinna, vale.*

Epist. X.

V. 1. *Mitius inveni* etc.] Recte viri docti primum hoc distichon spurium censent. Nam neque suo loco est, nec respondet facilitati Ovidianae.

V. 3. *Ex illo littore*] h. e. Dia insula, ubi Theseus Ariadnen reliquit. v. Plutarch. in Thes.

V. 6. *Per facinus*] h. e. facinorose. Saepe praepositio *per* cum addito casu adverbio circumscribendo inservit. Sic *per scelus* est sceleste, *per invidiam* invidiose, *per dolum* dolose etc. v. Cort. ad Sall. Cat. 12. Drak. ad Liv. 4, 58. et Intpp. ad h. l.

V. 7. *Tempus erat*] Frequens poetis exordium in descriptione certi temporis. v. Virg. Aen. 2, 268. Lucan. 8, 467. Stat. Theb. 4, 680.

Vitrea pruina] h. e. perlucida, splendenti instar vitri. Am. 1, 6, 55. *vitreoque madentia rore.*

V. 8. *Queruntur aves*] Recte observat Schol. Hor. ad Epod. 2, 26. veteres verbum *queri* ad voces avium retulisse. Am. 3, 1, 4. *Et latere ex omni dulce queruntur aves.* Fast. 5, 166. *Tactae rore queruntur aves.* Lucret. 4, 551. de cycnis: *Cum liquidam tollunt lugubri voce querelam.* v. Gifan. ind. Lucret. v. Querela.

V. 9. *Incertam vigilans*] h. e. dubie vigilans. Adject. neutrum ponitur pro adverbio, ut saepe Stat. Theb. 5, 212. *Incertumque oculis vigilantibus.* Contra *certum vigilans* ap. Hor. 2. Serm. 5, 100. ubi v. Bentl.

A somno] h. e. post somnum. v. Intpp. ad h. l.

V. 10. *Pressuras — manus*] Libri veteres fluctuant inter *pressuras* et *prensuras*, ex quibus pessimam lectionem elegit Burmannus. Convenit

quidem verbum *premere* ardenti amori, sed non convenit Ariadnae semisopitae, Theseum avido amplexu premere, quae potius illum manu tangebat, prehendebat. Fast. 5, 496. *Lubrica prensantes effugit umbra manus.* Virg. Aen. 2, 793. *Ter frustra comprensa manus effugit imago.* Sed maxime appositus locus Lucan. 5, 738. ubi Cornelia uxor, in eodem lecto cubans cum Pompejo marito, *non audet flentem deprendere Magnum.*

V. 11. *Retentare*] est iterum iterumque tactu explorare, an Theseus in parte tori esset. Met. 10, 288. *Rursus amans rursusque manu sua vota retentat.* Senec. Ep. 45. *qui interrogatur, an cornua habeat, non est tam stultus, ut frontem suam tentet.* Quinct. Decl. 1, 9. *Tentavit ergo vultus et pectus objectum.* v. Intpp. ad h. l.

V. 15. *Sonuerunt pectora*] scil. ab ictibus, quibus percutiebantur. Tibull. 1, 7, 42. *Crura licet dura compede pulsa sonent.*

V. 16. *Turbida*] est turbata, confusa. Tib. 1, 3, 91. *longos turbata capillos.*

Rapta coma est] Bene Heins. e MSS. restituit *rupta coma.* Nam *rumpuntur* vel scinduntur capilli in luctu, planctu, et similibus; *rapiuntur* in pugna, vel cum aetate deficiunt. v. Intpp. ad h. l.

V. 26. *Raucis*] h. e. murmur edentibus. Sic dicitur *raucum mare*, *rauca fluenta*, *raucum littus.* Exempla habent Intpp. ad Val. Flacc. 1, 330.

Adesus] i. e. excavatus. Lucan. 6, 267. *Frangentem fluctus, scopulum ferit, aut latus alti Montis adest.* Sic *lapides adesos* dixit Hor. 3. Carm. 29, 36. Verbum *adedere* egregie illustrat Heins. ad Amor. 1, 15, 41.

V. 28. *Metiri aequora*] significat mare oculis obire, perlustrare, quasi ejus mensuram concipere velis. Lucan. 6, 32. *Metitur terras oculis.* Stat. Theb. 10, 835. *Ardua mox torvo metitur culmina visu.*

V. 29. *Nam ventis* etc.] Sensus est: Non te tantum, Theseu, crudeli, sed ventis quoque crudelibus usa sum. Pro *crudelibus* MSS. quidam habent *crudelius.* Dubitat Burm., quam lectionem praeferat. Postea notis ad Phaedr. p. 94. recte praetulit *crudelibus.*

V. 30. *Praecipiti*] h. e. celerrimo. Hor. 1. Carm. 3, 12. *Nec timuit praecipitem Africum.* Met. 11, 481. *et praeceps spirare valentius Eurus.* *Notus* in genere dicitur quilibet ventus, ut Ep. 3, 58. *carbasa tendi vento* dicuntur, cum ventus secundus est et prosper cursus. Val. Flacc. 4, 422. *et placidi tendebant carbasa venti.* Ep. 13, 15. *Incubuit Boreas, abreptaque vela tetendit.*

V. 31. *Aut vidi*] Heusing. rectius legit: *ut vidi.*

V. 34. *Voce voco*] Graeca loquendi ratio. Virg. Aen. 6, 247. *Voce vocans Hecaten.* Sic *audacia audere* ap. Ter. Eun. 5, 5, 16. Burm. ad Ov. Metam. 10, 3. cacophoniam habere putat *voce voco*, sed refellitur a viro docto Misc. Obss. Nov. T. X. p. 304.

V. 36. *Flectere navem*] Proprie dicitur, qui redire parat, unde venit. Virg. Aen. 4, 27. *Flecte viam velis.* Val. Flacc. 3, 38. *puppis Turbine flectit iter.*

Numerum non habere dicitur navis, quae non habet tot remiges, vectores, quot requiruntur. *Numerus* saepe usurpatur de partibus, quae requiruntur, ut res perfecta sit, ut in Ciceroniana locutione *omnibus numeris absolutum esse.* Simillimus Ciceronis locus Verr. 5, 51. *si suum numerum naves haberent.* v. Ernest. Clav. Cic. v. Numerus.

V. 37. *Haec ego*] sc. *dixi*, quod verbum saepe omittitur. v. Heusing. ad h. l.

Deerat] Apud optimae aetatis poetas semper disyllabum est *deero*, *deesse.* v. Heins. ad Claud. de R. Pros. 2, 287.

Clangor] h. l. est percussio pectoris; seq. versu vocat *verbera.* Veteres Latini dixerunt *plago* a Dorico *πλάγω* pro *πλήγω*; deinde *n* insretum est, ut *frago*, *frango*, *clago*, *clango*, *pago*, *pango*, *tago*, *tango* etc.

V. 40. *Iactatae late signa dedere manus*] Multo jucundius ad aures accidit, quod in Dousae cod. legitur: *Iactantes late.* *Signa* autem intellige mappam, vel simile quid in altum jactatum. Amor. 3, 2, 74. *Et date jactatis undique signa togis.*

V. 48. *Ogygius Deus*] Est Bacchus Thebanus. Omnia Thebana a poetis *Ogygia* vocantur ab Ogyge, vetustissimo Thebarum rege.

Concita] h. e. furore concitata. Proprium hac in re verbum. Hor. 3. Carm. 15, 10. *Pulso Thyas uti concita tympano.* Ov. Art. Am. 3, 710. *ut Thyrso concita Baccha.* Sen. Agam. 689 *Pectora rauca concita buxo Furit.* ubi v. Gron.

V. 50. *Tam lapis*] h. e. tam immobilis, tam sine sensu.

V. 52. *Exhibiturus*] *Exhibere* est ostendere, publice monstrare. Ep. 17, 116. *Tres tibi se nudas exhibuere Deae.* ubi v. Intpp.

V. 53. *Qua possum*] Heins. explicat: *quantum possum.* Et saepe haec formula sic dicitur aliis locis; sed hic melius videtur intelligere parte, scil qua parte tu jacuisti.

V. 54. *Strata*] Veteres *stratum* vocant, quidquid lecto insternitur, atque adeo lectum. Met. 5, 34. *stratis tum denique Perseus Exsiluit.* v. Markl. ad Stat. Sylv. 1, 2, 59.

V. 55. *Manare lacrymis torus* dicitur, e quo lacrymae defluunt. Met. 6, 646. *manant penetralia tabo.* Liv. 1, 59. *cultrum manantem cruore.* ubi v. Drakenb.

V. 59. *Quid faciam* vel *quid agam* solemnis formula est eorum, qui turbati sunt et inopes consilii. Met. 1, 61. *Quid faciat?* Ter. Hec. 4, 1, 4. *Perii, quid agam?* v. Intpp. ad Ov. Ep. 21, 56.

Culta] *Cultus*, *cultor*, *colere* sunt propria verba in agricultura, quae ipsa vox composita est ex *agrum colere.* Hinc etiam poetae *culta* absolute vocant arva colendo apta. Virg. G. 1, 153. *Qua niger humectat flaventia culta Galesus.* Stat. Theb. 4, 51. *Sicyonis Culta serunt.* v. Intpp. ad h. l.

V. 60. *Hominum facta* vocat, quae Hor. A. P. 68. *mortalia facta.* ubi Bentlejo de conjectura legenti *mortalia cuncta* hic locus obstare videtur. *Boum facta* dicit opera rustica, imitatus Graecos, apud quos frequentissimum est ἔργα βοῶν. v. Intpp. ad h. l.

Quid sequar?] h. e. quo me conferam. *Sequi regionem* eleganter dici pro proficisci in eam regionem, ostendimus ad Ep. 7, 10.

V. 65. *Labi* exquisite ponitur pro navigare. Prop. 2, 20. 8. *Atque tua labens navita fleret aqua.* ubi v. Broukh. Sic *allabi* pro appellere ap. Virg. Aen. 6, 2.

V. 70. *Prodita*] h. e. prodidi patrem et patriam, duo caritatis nomina. Met. 8, 464. *pugnant materque sororque, Et diversa trahunt unum duo nomina pectus.* v. Bentl. ad Hor. 3. Carm. 27, 34.

V. 71. *Tecto morerere recurvo*] h. e. labyrintho. Observandum est, syllabam *re* quater repeti. Sic Virg. Aen. 4, 71. syllabam *ma* iterat: *Fama, malum, quo non aliud velocius ullum.* v. Jan. Dousae Praecid. ad Catull. 1.

V. 73. *Per ego juro*] Antiquae elegantiae est, in jurejurando et obtestationibus praepositionem *per* a casu, quem regit, pronomine interposito separare. Virg. Aen. 4, 314. *Per ego has lacrymas dextramque tuam te Oro.* Tibull. 1, 5, 7. *Per te furtivi foedera lecti, Per Venerem quaeso.* Curt. 5, 8. *per ego vos decora majorum oro et obtestor.* v. Drakenb. ad Sil. Ital. 5, 82. et quae diximus ad Jul. Ruf. p. 209. Veteres etiam per mala sua jurabant. Quinct. 6. proem. *juro per mala mea, per infelicem conscientiam.*

V. 75. *Si modo vivis*] Sic optime Heins. restituit; nam se ipsam alloquitur Ariadne.

V. 76. *Sepulta*] h. e. perdita. Nam qui sepultus est, sic periit, ut nulla spes sit ad vitam redeundi. Sen. Epigr. in Catal. poet. 43. *Parce relegatis, hoc est, jam parce sepultis.* v. Intpp. ad Ibin 16.

V. 78. *Soluta fides*] *Solvere fidem* est praestare promissum. Fast. 1, 642. *Voverat, et voti solverat ante fidem.* Etiam *exsolvere fidem* est ap. Liv. 3, 19. ubi v. Drakenb. Male quidam solvere fidem explicant frangere, ut *rumpere fidem*, quos refellit Cl. Duk. ad Flor. 1, 1. p. 26.

V. 79. *Non tantum*] Observandum, post *non tantum* poni *sed*, omisso etiam. Cic. ad Div. 1, 6. *Omnibus negotiis non interfuit solum, sed praefuit.*

Liv. 2, 6. *non dolore solum, sed odio iraque.* ubi multa exempla collegit Drakenb.

V. 81. *Occurrere animo* dicuntur, quae cogitamus. Cic. de Or. 2, 24. *Statim occurrit animo, quae sit causa ambigui.* Liv. 2, 49. *Quidquid eorum oculis, quidquid animo occurrit.* ubi v. Drakenb.

V. 83. *Jamjam* vel *jamjamque* ponitur pro statim, illico. v. Intpp. ad Met. 9, 388.

V. 86. *Quis scit, an habet*] Etsi Latini plerumque dicunt, *quis scit, an habeat*, tamen multa sunt exempla, quibus apparet, recte etiam dici, *quis scit, an habet.* Met. 10, 637. *Quid facit, ignorans.* Vim exemplorum collegit Burm. ad Lucan. 1, 126. Tamen praestat h. l. cum viro docto legere, *Quis scit, an et saeva tigride sylva vacet.*

V. 88. *Quid vetat? quid prohibet?* frequens formula in re facili vel concessa. Virg. Aen. 5, 631. *Quid prohibet muros jacere?* Hor. 1. Serm. 1, 24. *ridentem dicere verum Quid vetat?* v. Heins. ad h. l. et Drakenb. ad Sil. 17, 232.

V. 90. *Traham grandia pensa*] Hujus loci interpretatio petenda e notatis ad Ep. 3, 75.

V. 95. *Coelum restabat*] Hic versus jure spurius habetur. Rationem explicat Burm. ad h. l.

V. 96. *Rapidae ferae*] Heinsio rapaces dictae videntur. Sed illa notio nullis exemplis confirmare potest. Legendum igitur, ut MS. habet, *rabidis* h. e. furentibus.

V. 99. *Androgeos*] Minois filius, frater Ariadnes, cum in gymnicis certaminibus Athenienses vicisset, ab iis, virtuti invidentibus, occisus est. Minos igitur, bello superatis Atheniensibus, hanc poenam statuit, ut singulis annis septem de filiis, septem de filiabus edendos Minotauro mitterent. v. Serv. ad Aen. 6, 14. et mythographos alios ap. Meurs. in Theseo.

V. 100. *Cecropis terra*] Attica dicitur a primo rege Cecrope.

V. 102. *Ardua dextera*] h. e. elata ad ictum inferendum. v. Met. 11, 482.

V. 104. *Fila recepta*] Non contemnenda haec lectio; sed pulchrior est, quam Heins. de conjectura reponit: *fila relecta.* Nam proprie *legere* et *relegere filum* dicitur, qui ejectum revocat et contrahit. Met. 8, 173. *Janua difficilis filo est inventa relecto.* Virg. Aen. 10, 814. *Parcae fila legunt. Adducere manus* est attrahere, ut apud Lucan. 3, 700. *Adductum quoties non senserat ancora funem.* ubi v. Oudend.

V. 106. *Tinxit humum*] h. e. infecit sanguine suo. In aliis libris legitur *stravit humum*, quod frustra Burm. defendere conatur. *Sternere terram* pro operire, tegere dici nemo dubitat; sed terra non uno corpore, sed multitudine corporum sternitur. Aliena igitur sunt exempla, quae vir doctus laudat.

V. 107. *Cornu*] sc. Minotauri, cui cornua tribuunt Prop. 4, 4, 39. et Stat. Th. 12, 670.

V. 110. *Thesea*] Eleganter ponit pro moribus et ingenio Thesei. Exempla dedimus ad Ep. 6, 151.

V. 112. *Semel* fieri dicitur, quod iterum fieri nequit. Liv. 25, 6. *cum quo dimicantes aut vitam semel, aut ignominiam finirent.* Suet. Caes. 86. *insidias subire semel, satius esse.* v. Duk. ad Flor. 2, 12. p. 364.

Nox, quae a poetis pro morte ponitur, eleganter dicitur hominem *premere*, velut gravi sopore. Hor. 1 Carm. 4, 16. *Jam te premet nox fabulaeque Manes.* Lucan. 7, 616. *Vita fugit, densaeque oculos pressere tenebrae.* ubi v. Intpp.

V. 114. *Officiosus* dicitur, qui promte officium praestat. Ep. 18, 60. de Luna, *comes in nostras officiosa vias.*

V. 121. *Peregrinas in auras*] Summa infelicitas apud veteres habebatur, procul a patria, in terra peregrina mori vel sepeliri. v. Trist. 1, 2, 53. et Drak. ad Sil. 4, 77.

V. 122. *Positi artus* dicuntur bene ac decenter compositi in lecto ferali. Met. 9, 503. *toroque Mortua componar.* v. Casaub. ad Pers. Sat. 3. p. 303. Saepe etiam *poni* et *componi* dicitur pro sepeliri. Catull. 69, 98.

Nec probe cognatos compositum cineres. Tacit. Agric. 45. *paucioribus tamen lacrymis compositus es.* v. Heins. ad Art. Am. 3, 740.

Unguet] Cadavera apud veteres, antequam sepelirentur, non solum lavabantur, sed etiam ungebantur a pollinctoribus. Virg. Aen. 6, 219. *corpusque lavant frigentis et unguunt.* ubi v. Serv. et Lacerd.

V. 123. *Ossa superstabunt*] *Superstare* modo ponitur cum accus., modo cum dativo. v. Intpp. ad h. l. et ad Met. 11, 552.

V. 125. *Ibis Cecropios* etc.] Notum est, praepositiones in nominibus urbium, provinciarum, insularum saepe omitti. Sed idem aliquando fit in nominibus appellativis, ut h. l., *ibis portus* pro ibis ad portus. v. Sanct. Min. 6, 6. p. 671.

V. 129. *Sola tellure*] h. e. deserta. Cic. de Div. 1, 28. *cum in locis solis moestus errares.* Sen. Hippol. 66. *Quidquid solis pascitur arvis.* Ov. Ep. 11, 84. *in solis destituique locis.* v. Broukh. ad Prop. 2, 15, 7. et Heins. ad h. l.

V. 132. *Auctores*] h. e. parentes. Trist. 4, 4, 34. *Sed prius auctori sunt data verba tuo.* Fast. 4, 24. *et auctores retulit ipse suos.* v. Bentl. ad Hor. 3. Carm. 3, 66.

V. 137. *Adspice mente*] h. e. puta, cogita, te adspicere. Stat. Theb. 10, 556. *ferrum undique et ignes Mente vident, saevas mente accepere catenas.* Sil. Ital. 7, 586. *Aeternas intrarat mente tenebras.* ubi v. Drakenb.

Demissos lugentis in ore capillos] Legendum cum Heinsio: *demissos lugentis more capillos*, vel certe scribendum, *demissos lugentis in ora capillos.* Nam *demittere in ora* dicitur, non *in ore.*

V. 140. *Litora pressa*] h. e. scripta, exarata. Locutio translata a re rustica. Nam arator dicitur *vomerem premere, aratrum imprimere.* Ov. 1. ex P. 8, 57. *Ipse manu capulum pressi moderatus aratri.* v. Burm. ad Val. Flacc. 7, 63. Sic etiam *exarare* dicitur pro *scribere.*

V. 141. *Adoro*] ponitur pro *oro*, compositum pro simplici. Liv. 6, 12. *Cum hostia caesa pacem Deûm adorasset.* v. Passerat. et Broukh. ad Prop. 1, 4, 27.

V. 143. *Sed nec poena quidem*] Legendum: *Sed ne poena quidem.* Nam constat inter criticos, ubicunque *nec quidem* vel *neque quidem* legitur, scribendum esse *ne quidem.* v. Duker. ad Flor. 2, 6. p. 260. et Drakenb. ad Liv. 1, 10.

V. 144. *Non est, cur*] Intelligendum *ratio* vel *causa.* Cic. p. Cluent. 53. *Quid est, cur tu in hoc sexto loco sedeas.* Liv. 20, 43. *Quid est, cur illi vobis comparandi sint.* ubi v. Drakenb.

V. 147. *Qui superant*] h. e. qui supersunt. Nam reliquos capillos ruperat, ut ait v. 16.

V. 149. *Versoque relabere velo*] Priores edd. habent *versoque relabere vento.* Sed Burm. e MS. bene recepit *velo*, nisi dicas *verso vento* esse, quando ventus vertit. v. Markl. ad Stat. Sylv. 3, 2, 129.

V. 150. *Ossa legere* erat consanguineorum et amicorum. Tibull. 1, 3, 6. *Non hic mihi mater, Quae legat in moestos ossa perusta sinus.* ubi v. Broukh. Adde Heins. ad h. l. Quod si cum pluribus MSS. legas *ossa feras*, Ariadne petit, ut Theseus ossa sua secum ferat Athenis sepelienda, quod defendit Heusing.

Epist. XI.

Haec epistola scripta fingitur a Canace, Aeoli filia, fratri Macareo, ex quo per incestum puerum susceperat. Scripsit autem jamjam se interfectura gladio, quem pater crimine deprehenso ei miserat. v. Hygin. Fab. 238. et quos ibi laudat Munkerus.

V. 1. *Si qua tamen* etc.] Sensus, quem non cepit Burm., hic est: *Mitto tibi epistolam, quam si prae lituris minus legere possis, memento, sanguine meo conspersam esse.* Est autem exordium abruptum, ut perturbatus Canaces animus exprimatur. v. Heusing ad h. l. Saepe particulae *quamvis*, *licet* et similes, quibus *tamen* respondere solet, omittuntur. Imo interdum tota periodus omittitur, cui vocula *tamen* cum sua periodo respondet. Cic. ad Att. 12, 2. ita incipit epistolam: *Hic rumores*

tamen, Marcum periisse naufragio. v. Intpp. ad Virg. Ecl. 10, 31. et ad Liv. 37, 25.

V. 2. *Oblitus*] i. e. inquinatus. Cic. p. Rosc. Am. 52. *crudelitate sanguinis perlitus.* v. Bentl. ad Hor. 2. Carm. 1, 5.

V. 4. *Charta soluta*] h. e. non involuta, utpote in qua scribendum erat.

V. 7. *Adesset*] Codd. quidam legunt *adesses*, ut ad Macareum referatur; sed melior est lectio recepta. Nulla enim causa est, cur Canace fratrem adesse velit. Sed patrem adesse cupit, ut examinaret, an mortem ex mandato recte obiret. v. Burm. ad Anth. Lat. T. 1. p. 179.

V. 8. *Exigere* i. q. examinare, quod ipsum verbum ab *exigo* derivatur. Nam ab antiqua forma *exago* fit *exagimen*, *exagmen*, *examen*, unde *examino*. Cic. Verr. 1, 51. *ad perpendiculum columnas exigere.* Liv. 6, 4. *aedilibus velut publicum exigentibus opus.* Suet. Caes. 47. *sua manu exegisse margaritarum pondus.* v. Gron. Obss. 1, 8. et ad Sen. Agam. 934. ex quo hausere Graev. ad Suet. Aug. 31. et alii. Simillimus est locus Suet. Claud 34. *poenas parricidarum repraesentabat, exigebatque coram.*

V. 11. *Est aliquid*] De hac eleganti formula v. notata ad Ep. 3, 131.

V. 12. *Ingenio populi etc.*] h. e. aeque truculentus est, ac populi sui.

V. 13. *Sithonius aquilo* i. q. Threïceus. Sithonia est pars Thraciae. Amor. 3, 7, 8. *Sithonia candidiora nive.*

V. 14. *Pennis*] Ventis alae nigrae a poetis dantur. v. Sil. Ital. 12, 617. et ibi Drakenb.

V. 17. *Admota coelo* dicitur, quae Deorum genus cognatione adtingit. Ex Ovidii imitatione Sil. Ital. 8, 295 *Sed genus admotum Superis summumque per altos Adtingebat avos coelum. Admoveri* alicui dicuntur, qui ei adpropinquant aut viciniores fiunt. v. Gron. Obss. 4, 21.

V. 19. *Num minus?*] Elegans formula, negandi vim habens, quam multis exemplis confirmat Heins. ad h. l. Propert. 4, 11, 13. *Num minus immites habui Cornelia Parcas?*

V. 21. *In unum*] sc. locum, quod saepe additur. v. Oudend. ad Caes. B. G. 2, 5.

V. 27. *Adduxerat*] h. e. contraxerat, adstrinxerat. Met. 3, 397. *Adducitque cutem macies.* Hanc notionem pulcre explicat Heins. ad h. l. Quod hic *adducere*, sequenti versu est *cogere.*

V. 28. *Ora coacta*] Sunt contracta, minora facta per maciem. Omnia enim, quae in angustius spatium contrahuntur et condensantur, cogi dicuntur. Met. 11, 512. *venti coacti.* Liv. 38, 18. *Coacto agmine procedere.* v. Burm. ad h. l.

V. 30. *Gemitum dare* ponitur pro edere gemitum. Liv. 7, 2. *dare motus haud indecoros.* v. Drakenb. ad Liv. 21, 48.

V. 31. *Cur hoc facerem?*] i. e. cur gemitum ederem. Nam verbum *facere* saepe notat illum actum, quem verba praecedentia exprimunt. Ep. 20, 55. *Tu facis hoc, oculique tui.* v. Intpp. ad Suet. Ner. 46. et Oudend. ad Cic. de Inv. 2, 58.

V. 33. *Animo anili*] h. e. prudenti. Sic *anilis* etiam in bonam partem accipitur ap. Plin. Ep. 5, 16. *Nondum annos quatuordecim impleverat, et jam illi anilis prudentia, matronalis gravitas erat.* Auson. Epitaph. 32. *meritis anus est, aetate puella.*

V. 35. *Dejicere oculos* pudoris est signum. Am. 1, 8, 37. *Cum bene dejectis gremio spectaris ocellis.* Virg. Aen. 11, 479. *oculos dejecta decoros.* Val. Flacc. 7, 514. *Dejicit hinc vultus aeger pudor.* v. Drak. ad Sil. Ital. 8, 73.

V. 38. *Furtivum onus*] h. e. foetus per incestum conceptus. *Furtum, furtivum amorem* proprie de amore illegitimo dici, supra observavimus.

V. 39. *Medicamina*] Intelligit ea, quae abortum efficiant. *Subponere* est clam, latenter dare, adhibere. Risu digni sunt, qui explicuerunt, per inferiores partes immittere.

V. 42. *Excuteretur*] sc. per abortum. Fast. 1, 623. *ictu temeraria caeco Visceribus crescens excutiebat onus. Egerere* in eadem re dixit Plin. H. N. 7, 11. *effundere* Juv. Sat. 2, 33.

V. 43. *Admovere artes* propria in re medica locutio. Rem. Am. 116. *Admoveo tardam nunc tibi lentus opem.* Cic. Tusc. 4, 28. *sed alia quaedam sit ad eum admovenda curatio.*

Infans est foetus in utero conceptus, ut ap. Suet. Aug. 63. *infans, qui conceptus erat, immaturus est editus.*

V. 44. *Tecto ab hoste*] Burm. dubitat, utrum poeta nutricem, an medicamen *tectum hostem* dicat. Si nutricem intellexisset, *tecta ab hoste* scripsisset. Itaque non dubium est, quin intelligendum sit noxium medicamen, quod latenter per viscera serpebat.

V. 46. *Dena Luna*] est decima. Sil. Ital. 3, 398. *Ter denos decies emensus belliger annos.* Itaque non opus est legere *plena*, ut placet Gronovio Obss. 4, 15. Ceterum notum est, veteres credidisse, foetum decem menses in utero latere. v. Heins. ad h. l. et Intpp. ad Virg. Ecl. 4, 61.

V. 47. *Luna movebat equos*] Soli a poetis quadrigae tribuuntur, Lunae bigae v. Columm. ad Enn. p. 266. et Broukh. ad Tibull. 2, 1, 87. *Movere equos* Ovidius dixit, ut Germanicus Arat. p. 19. de Sole et Val. Flacc. 3, 413. de Luna *movere currus* v. Heins. ad h. l.

V. 48. *Nova miles eram*] h. e. rudis eram ad amorem. Saepe locutiones a re militari ad amorem traducuntur. Ov. Am. 1, 9, 1. *Militat omnis amans, et habet sua castra Cupido.* v. Prop. 1, 6, 30. et ibi Passerat. De voce *miles* feminini generis v. notata ad Ep. 6, 54.

V. 53. *Elapsa verba*] sunt, quae invita exciderant. Cic. p. Dom. 39. *ex isto ore religionis verbum excidere aut elabi potest?*

Reprendo] Elegantissime Canace dicitur verba ex ore quasi fugientia *deprendere* vel retrahere. Ter. Adelph. 4, 4, 13. *reprehendi me* Proprio *reprehendere* dicitur de fugitivis, qui e fuga retrahuntur. Suet. Calig. 46. *veluti profugos ac reprehensos in catenis reduxit.* v. Intpp. ad Justin. 38, 9.

V. 54. *Lacrymas combibere* dicitur, qui eos cohibet et celat, quantum potest. Ita Sen. cons. ad Marc. 1. dixit: *Clam fundere lacrymas et gemitus devorare.* Lucan. 7, 43. *edere dolorem.* ubi v. Intpp. Imo ipse Ov. Fast. 4, 845. *lacrymas introrsus obortas Devorat.*

V. 59. *Dixti*] Antiquo more pro dixisti.

V. 61. *Spes bona*] *Spes* a veteribus habebatur Dea. Cic. de Legg. 2, 11. *Quoniam exspectatione rerum bonarum erigitur animus, recte etiam a Calatino Spes consecrata est.* v. Broukh. ad Tib. 1, 1, 5.

V. 63. *Ad tua verba revixi*] h. e. simul ac tua verba audivi. Elegans usus praepositionis *ad.* Liv. 3, 41. *ad nomina respondet.* Petron. 22. *ad quem ictum exclamavit illa.* Lucan. 6, 137. *gemit agger ad ictus.* Ov. Met. 1, 657. *ad mea verba remugis.*

V. 64. *Positum est uteri onus*] *Ponere* et *deponere* proprie dicuntur in partu. Catull. 35. *Quam mater prope Deliam Deposivit olivam.* Phaedr. 1, 18, 5. *Onus maturum melius quo deponeret.* ubi v. Intpp. Ov. Met. 1, 300. *Nunc ibi deformes ponunt sua pignora phocae.* v. Cl. Ernest. ad Callim. h. in Jov. 16. Ceterum exquisitior est hujus versus scriptura est in cod. ap. Heusing. *Et positum est utero crimen onusque meo.*

V. 65. *Frugibus infantem*] Praeferendum est, quod in plerisque libris legitur: *Frondibus inf.* v. Heusing. ad h. l.

V. 73. *Mentita sacra*] i. e. ficta, simulata. Sumitur autem passive, ut multa participia verborum deponentium. Et auctor est Priscian. 8. p. 799. veteres non solum *mentior*, sed etiam *mentio* dixisse. v. Intpp. ad Grat. Cyneg. 91. et Ov. Met. 10, 28.

V. 74. *Sonat*] E MSS. edendum fuerat *tonat*, quod verbum multo efficacius est et aptius voci regis irati et minantis. *Tonare* vero saepe ad vocem refertur. Prop. 3, 15. fin. *Qualis Pindarico spiritus ore tonat.* Sic Pericles, summus orator, dictus est *tonare*, *fulgurare et permiscere omnia.* v. Intpp. ad Petron. 2.

V. 75. *Stringitur*] h. e. raditur et leviter adtingitur. Met. 4, 136. *Aequoris instar, Quod tremit, exigua cum summum stringitur aura.* Ov. Am. 1, 7, 56. *cum tepido stringitur unda noto.*

V. 90. *Mea viscera*] Sic appellat infantem suum. Albinov. El. in Drus. 264 *Iste rogus miserae viscera matris habet.* Ov. Met. 8, 478 *Rogus iste cremet mea viscera.* Quinctil. prooem. 6, 492. *Infaustum opus consumturis viscera mea flammis injicere.* v. Pricaeum ad Apulej. Met. 8. p. 452.

V. 92. *Inque meas unguibus ire genas*] Similiter Am. 1, 7, 64. *Protinus in vultus unguibus ire meos.* Quinctil. Decl. 10, 15. *Omnes ire in ista ora debebant.*

V. 96. *Quid iste velit*] i. e. quid iste significet. Scilicet indicabatur, isto gladio vitam sibi eripere debere. Met. 9, 473. *tacitae quid vult sibi noctis imago?* Cic. de Sen. 18. *Avaritia senilis quid sibi velit, non intelligo.*

V. 97. *Fortiter*] i. e. intrepide, magno animo. Liv. 45, 5. *reliqui quid esset, nisi ut fortiter moriatur.* ubi v. Drakenb. Vox *fortis* de animi potius, quam de corporis, fortitudine usurpatur. v. Graev. ad Cic. p. Quinct. 2.

V. 98. *Pectoribus condam*] h. e. ensem pectore abdam, ensem pectori infigam. Met. 13, 459. *at tu jugulo vel pectore telum Conde meo.* Lucan. 1, 376. *Pectore si fratris gladium juguloque parentis Condere me jubeas.* Frequens poetis haec loquendi ratio.

V, 99. *His mea muneribus connubia donas*] Frustra Burm., ut minus latinam, rejicit locutionem: *connubia donare muneribus.* Virg. Aen. 5, 282. *Sergestum Aeneas promisso munere donat.* et 361. *Hoc juvenem egregium praestanti munere donat.* Suet. Tiber. 6. *munera, quibus a Pompeja donatus est.* Alii dicunt aliquem *donis donare.* v. Drakenb. ad Liv. 2, 13.

V. 103. *Erinnyes atrae*] *Erinnyas* vel Furias recte dici *atras*, non dubium est. Sic Tisiphonen, unam Furiarum, *atram* vocat Sil. It. 2, 529. Verum tamen melius est, cum Burm. scribere *atras*, ut ad faces referatur. Saepe enim furiis tribuuntur *faces atrae*, dirum lumen habentes. v. Stat. Theb. 4, 133.

V. 105. *Parca meliore*] h. e. fato feliciore, magis fausto. Sen. Herc. Oet. 602. *ubi jam melior Fortuna ruit.* Stat. Sylv. 1, 5, 65. *Et tua jam melior discat fortuna renasci.* ubi v. Markl. *Parcae* ponuntur pro fatis vitae humanae, unde saepe Parcae etiam *Fata* vocantur. Ov. Trist. 3, 7, 13. *Nam tibi cum Fatis mores Natura pudicos* etc. ubi v. Burm. Adde Gron. ad Gell. 3, 16.

V. 106. *Admissi memores*] In nonnullis MSS. legitur *amissae memores* h. e. memores este ejus, quam amisistis, quae vobis mortua est. Et hanc lectionem jure praefert Gron. ad Sen. Med. 555. qua etiam evitatur ingrata repetitio verbi *admissi*, quod v. sequenti et mox v. 110. occurrit.

V. 109. *Si potuit meruisse necem*] Saepe ab infantum innocentia argumentum petitur ad commiserationem excitandam. Lucan. 2, 108. *Crimine quo parvi caedem potuere mereri?* v. Intpp. ad h. l.

V. 111. *Rapidarum*] Scribendum *rabidarum*. *Rapida* fera dicitur a celeritate, *rabida* a voracitate vel a rabie famis.

V. 114. *Summa*] h. e. ultima, ut Fast. 4, 387. *Ante tamen quam summa dies spectacula sistat.*

V. 116. *Tonsas ferre sepulcra comas*] Graeci et Romani jam inde ab antiquissimis temporibus in funere eorum, quos dilexissent, tondere comas et mortuis dicare solebant. Ov. Met. 3, 506. *et sectos fratri posuere capillos.* v. Prop. 1, 17, 21. et ibi Passerat. Petron. 3. et ibi Wower.

V. 117. *Non oscula frigida carpsi*] *Carpere* vel *decerpere* oscula, usitata poetis locutio. Met. 4, 358. *luctantiaque oscula carpit.* v. Cl. Markl. ad Stat. Sylv. 2, 1, 172. Veteres autem mortuos, antequam comburerentur, osculari solebant. v. Kirchm. de Funer. 1, 5.

V. 119. *Infantes umbras*] Poetice dicitur pro infantis umbras. *Prosequi* verbum exequiale esse, observat Heins. Recte. Sed hic aliam vim habet, et accipiendum est pro simplici sequi, ut Ep. 17, 245 *Nec dubito, quin, te si prosequar, arma parentur.* Ep. 18, 218. *Quam, precor, ut minima prosequar ipse mora.* v. Drak. ad Liv. 27, 15.

V. 121. *Speratus* ponitur pro sponsus. Afranius ap. Non. Marc. p. 174. *Speratam non odi tuam.* Hygin. F. 33. *suam speratam abduxit.* ubi v. Munker.

V. 123. *Socio sepulcro*] h. e. quod mihi et filio commune est. v. Intpp. ad Lucan. 9, 818.

V. 125. *Lacrymas in vulnera funde*] h. e. prolue, deterge vulnera lacrymis. Met. 13, 490. *lacrymas in vulnera fundit.* v. Heins. ad h. l.

V. 127. *Tu, rogo* etc.] Hoc distichon, misere foedatum, ex MSS. vestigiis ita corrigit Heusing *Tu, rogo, dilectae nimium mandata sororis Perfice: muneribus perfruar ipsa patris.*

Epist. XII.

V. 1. *At*] Hanc particulam veteres eleganter usurpant, si irati vel indignantes inchoant orationem. Virg. Aen. 2, 535. *At tibi pro scelere* etc. Ov. Met. 8, 279. *At non impune feremus.* Justin. 14, 4. *At vos, devota corpora, respiciant Dii perjuriorum vindices.* ubi v. Gron. Graeci similiter particula ἀλλὰ utuntur. v. Heins. ad h. l.

Regina Colchorum] Medea dicitur, non quod unquam regnum Colchorum tenuit, sed quod Colchorum regis filia fuit. Sic Darii filiae reginae vocantur a Curtio 3, 11. Sic saepe *reges* regum filii, ut ap. Flor. 4, 9. ubi v. Duk.

Vacavi] *Vacare alicui* significat, omnibus relictis studere alicui, in ejus commoda intentum esse. Vell. Pat. 2, 114. *tanquam huic uni vacaret animus.* Quinctil. 1, 2. *in studiis magis vacabit unus uni.*

V. 5. *Dispensant mortalia fila*] *Dispensare* est per partes distribuere, non uno impetu ac momento. De hoc verbo v. Gron. ad Liv. 27, 50 et ad Justin. 7, 6. *Fila mortalia* Ovid. vocat fata generis humani, quae Parcae nere finguntur. Poeta vetus Anthol. Lat. 2, 119 p. 281. *si me Dispensata tibi stamina nente forent.* v. Heins. ad h. l. et Amor. 1, 3, 17.

V. 4. *Evoluisse*] *Evolvere* est ad finem volvere, atque adeo fata ad finem perducere. Met. 15, 152. *seriemque evolvere fati.* Propert. 1, 7, 16. *Quod nolim nostros evoluisse Deos.* ubi h. v. egregie illustrat Broukhus. *Evoluisse* ponitur pro *evolvisse* per dialysin, de qua v. Bentl. ad Hor. 1. Carm. 23, 4.

V. 5. *Mori bene*] Est honeste mori, cum laude. Liv. 22, 50. *Qui se bene mori, quam turpiter vivere, maluit.* Contra *male mori* est turpiter mori.

Quidquid vitae produxi] h. e. quidquid longius vixi. *Producere* est extendere, ut *producere sermonem in multam noctem.* ap. Cic. Somn. Scip. 1.

V. 7. *Acta*] h. e. impulsa. Met. 4, 706. *Sulcat aquas juvenum sudantibus acta lacertis.*

V. 8. *Pelias arbor*] h. e. navis Argo, structa ex arboribus in Pelio monte caesis. Ennius Medea fragm. p. 197. *Utinam ne in nemore Pelio securibus Caesa cecidisset abiegna ad terram trabes.* Ex hac Ennii et Euripidis tragoedia multa in hanc Epistolam traduxit Ovidius.

V. 9. *Magnetida vidimus Argo*] *Magnetida* dicit pro Thessala; est enim Magnesia Thessaliae regio.

V. 10. *Turbaque Phasiacam Graja bibistis aquam*] Poetica loquendi ratione significat versari in regione, ubi est Phasis fluvius. v. not. ad Ep. 7, 145. *Turba*, ut collectivum nomen, jungitur cum plurali *bibistis.*

V. 13. *Nova puppis*] h. e. invisitata, ante haud nota. Centies *novus* sic dicitur ap. Cic. v. Broukh. ad Tibull. 2, 7, 19.

V. 14. *Audaces viros*] *Audax* perpetuum est nautarum epitheton, imprimis Argonautarum, qui primi mare tentasse dicuntur. Senec. Med. 301. *Audax nimium, qui freta primus Rate tam fragili perfida rupit.* v. Ep.

18, 9. et Intpp. ad h. l. *Audacem* esse vitio ducitur; *audentem* laudi. De horum verborum discrimine v. Burm. Art. Am. 1, 608.

V. 15. *Praemedicatus*] h. e. medicamentis ante munitus. Infra 107. *somnus medicatus* dicitur medicamentis conciliatus.

V. 17. *Semina*] sunt dentes draconis, ex quibus armati homines enascerentur.

V. 20. *Capiti meo*] h. e. vitae meae. Cic. Phil. 11, 5. *Suo capiti, salvis nobis ominetur.* Flor. 1, 17. *devotum diis Manibus obtulit caput.* v. Heins. ad Ep. 20, 127.

V. 22. *Fruar*] Proprie hoc verbo utitur, ut Ter. Heaut. 1, 1, 97. *Nec fas esse ulla me voluptate hic frui.* ubi Donat. observat, *frui* proprie esse, delectationem capere ex usu. Cic. ad Div. 7, 1. *otio tibi perfrui mirifice licuit.* Liv. 22, 14. *Res fruenda oculis.* Ov. 2. Ep. ex P. 1, 12. *Hac ego laetitia, si vetet, ipse fruar.*

V. 23. *Colchos advertere puppim*] h. e. navem ad Colchos vertere, adpellere ad Colchidem. Liv. 37, 9. *in portum, quem vocant Achaeorum, classem primum advertit.* ubi v. Drak. Dativo hoc verbum jungit Val. Flacc. 4, 733. *Jam Mariandynis advertit puppis arenis.*

V. 25. *Hoc illic Medea fui* etc.] i. e. talis a te existimata sum, qualis nunc existimatur nova nupta Creusa. De eleganti usu neutrius generis in pronominibus *hoc* et *quod* supra diximus.

V. 27. *Ephyre*] Antiquum nomen Corinthi. Hinc *Ephyraeus* pro Corinthiacus. Ov. Art. Am. 1, 335. *Bimaris* Corinthus dicitur, quod sita erat in isthmo Corinthiaco, quem duplex mare, Aegeum et Ionium, alluebat. v. Met. 6, 419.

Scythia tenus ille nivosa Omne tenet] h. e. omnem illam regionem usque ad nivosam Scythiam tenet. Pomp. Mel. 1, 1. *Omne igitur hoc unum est.* ubi v. Jac. Gronov. Sic *omnia* pro omnibus locis ap. Val. Flacc. 2, 582. Sed melior est lectio, quam e MSS. vestigiis elicit Heins., *Scythiae tenet ille nivosae Omne latus.* *Latus Scythiae* ponitur pro Scythia.

V. 29. *Accipit hospitio*] Non solum *excipere* verbum convivale est, sed etiam *accipere* et *suscipere*. Hor. 2. Serm. 8, 67. *Ut ego accipiar laute.* Suet. Oth. 4. *Quoties coena principem acciperet.* v. Burm. ad h. l. et Lacerd. ad Virg. Aen. 3, 353.

V. 30. *Corpora Graja*] Per periphrasin dicuntur Graeci. Sic Ep. 17, 119. *coelestia corpora* sunt Deae. Virg. Aen. 7, 649. *Excepto Laurentis corpore Turni* h. e. ipso Turno. v. Muret. Var. Lect. 3, 4.

Picti tori sunt lecti instrati vestibus, quas Phrygiones acu pinxerunt. Lucan. 2, 357. *Stat torus, et picto vestes discriminat auro.* Infra 52. *tori purpurei.* De pictura in textili v. Jun. de Pict. Vet. p. 86.

V. 32. *Mentis ruina*] Est mentis eversio, gravissimus lapsus. Similiter de aetate *ruina* dicitur 1. Ep. ex Pont. 4, 6.

V. 33. *Ut vidi, ut perii, nec notis ignibus arsi*] h. e. simulatque te vidi, perii prae amore tui. Imitatur Virg. Ecl. 8, 45. *Ut vidi, ut perii, ut me malus abstulit error!* Qui illud sumsit e Theocrito, Eidyll. 3, 42. *ὡς ἴδον, ὡς ἐμάνην.* v. Heins. ad h. l.

V. 34. *Ad magnos Deos*] i. e. apud Deorum statuas, vel in Deorum templis. v. notat. ad Ep. 1, 26.

V. 36. *Abstulerant oculi*] h. e. in te solam averterant. De elegantia, quae est in verbo *auferre*, v. not. ad Ep. 6, 131.

V. 37. *Bene celat amorem*] *Bene* significat multum, valde. Expressit Terent. Andr. 1, 1, 104. *bene dissimulatum amorem et celatum indicat.*

V. 38. *Eminet flamma*] Burm., ut magis poeticam, praefert Edd. quarundam scripturam *enitet*. Sed ne haec quidem satis apta. Revocandum erat verbum, quod proprie dicitur de flamma subito erumpente, *emicat*. Lucan. 1, 533. *Nunc sparso lumine lampas Emicuit coelo.* Eleg. de Phoenice 44. *Et primi emicuit luminis aura levis.*

V. 39. *Dicitur interea tibi lex*] *Lex* ponitur pro conditione, ut saepe. *Dicere legem* significat scribere legem. Met. 13, 702. *Legem sibi dixerat ipse.* Vim exemplorum habet Heins. ad h. l.

Ut dura ferorum] Burm., minus capiens hujus loci sensum, e MSS.

pro *vomere* legit *pondere*, scil. jugi. Sed nihil mutandum. Sensus hic est: lex tibi dicitur, ut boum colla aratro imponendo incurves, deprimas in terram. *Vomer* ponitur pro aratro, pars pro toto. Similiter Ov. Met. 7, 210. *et unco Haud patiens oneris collum pressistis aratro.* Sed nihil clarius altero loco Fast. 2, 295. *Nullus anhelabat sub adunco vomere taurus.*

V. 41. *Martis erant tauri*] Ineptum distichon et supposititium, quod merito proscripsit Heinsius.

V. 43. *Praetentaque*] *Praetendi* dicuntur, quae adversus vim muniunt et tegunt. Lucan. 9, 673. *Defenduntque caput praetentis crinibus hydri.* ubi v. Oudend.

V. 44. *Adflatus*] Est emissio aeris ignei ex ore. *Adspiratio* dicitur a Cic. de N. D. 2, 33. v. Ern. clav. Cic. h. v.

V. 46. *Devota manu*] i. e. cui pater et Colchi omnia mala imprecabantur. Nisi *devovere* accipere malis pro se consecrare, atque adeo promptum paratumque esse ad periculum subeundum.

V. 49. *Custodis*] h. e. draconis, qui vellus aureum custodiebat.

V. 52. *Mensaque purpureos deserit alta toros*] Burmanno nec verbum *deserit* placet, nec epitheton *alta*, quod mensae tribuitur; sed *deserere* etiam res non animatae, quae locum suum relinqunt, dicuntur. *Altam* vero *mensam* recte dici, patet ex Am. 2, 11, 47. *Et tumulus mensae quilibet instar erit.*

V. 53. *Quam tibi nunc longe regnum dotale*] *Longe esse* exquisite dicitur, quod nihil juvat, nullum auxilium fert. Virg. Aen. 12, 52. *Longe illi Dea mater erit.* Flor. 1, 2. p. 218. *longe illis nauticae artes.* ubi v. Duker. Petron. 58. *curabo, longe tibi sit comula ista.* Sil. Ital. 17, 80. *Longe conjugia, ac longe Tyrios Hymenaeos Inter Dardanios acies fore.* ubi plures, qui hanc formulam certatim illustrarint, laudat Drakenb.

V. 55. *Oculis prosequi aliquem*] Significat aliquem respicere, quoad visus permittit. Suet. Tib. 7. *Agrippinam contentis et tumentibus oculis prosecutus est.*

V. 58. *Acta est nox*] Francius emendat *tracta est.* Frustra. *Agere* noctem ponitur pro *transigere.* Justin. 40, 5. *actis quindecim annis in regno.* v. Burm. ad Anth. Lat. T. 1. p. 531.

Per lacrymas] i. e. inter lacrymandum. v. not. ad Ep. 6, 71.

V. 62. *Soror*] Nempe Chalciope, Phryxi uxor, quae et ipsa Argonautis favebat.

V. 63. *Disjectam comas*] i. e. cujus comae turbatae erant propter crebram corporis jactationem. Met. 11, 386. *nondum totos ornata capillos, Disjicit hos ipsos.* Sil. Ital. 5, 203. *disjectaque crinem Illacrymat Venus.*

V. 65. *Petit altera* etc.] Haec corrupta sunt et frustra ab Heinsio tentantur. v. Heusing. Sed probabilis est Oudendorpii correctio: *Orat opem Minyis: petit altera, et altera praebet.* Cujus versus explicationem statim subjicit poeta: *Aesonio juveni, quod rogat illa, damus.*

V. 69. *Fuerantque diu*] Nempe quo vetustius templum erat, eo majore religione colebatur. v. Virg. Aen. 2, 713. et ibi Intpp.

V. 70. *Stat Dea*] Statua proprie *stare* dicitur. Fast. 1, 201. *Juppiter angusta vix totus stabat in aede.* Prop. 2, 22, 7. *Atque aram circumsteterant armenta Myronis.* Anth. Lat. 1, 63. p. 39. *In morem picta stabit Amor pharetra.* v. Burm. de Jov. fulgur. 14. p. 322.

V. 73. *Jus*] h. l. significat liberam potestatem. Fast. 5, 203. *Et dederat fratri Boreas jus omne rapinae.* Senec. de Ira 1, 8. *ubi semel affectui jus aliquod datum est.* Lucan. 1, 2. *Jusque datum sceleri.* et 51. *jurisque tui natura relinquet, Quis Deus esse velis.* v. Burm. ad Albin. El. ad Liv. 54.

V. 78. *Avi*] i. e. Phoebi vel Solis, qui Medeae avus, Aeëtae pater. Male viri docti vocem *numen* mutant. Nam *numen Dei* ponitur pro Deo, atque adeo numen avi pro avo, qui est Deus. Ep. 3, 53. *juratus per numina matris aquosae.*

V. 79. *Triplicis Dianae*] Diana *triplex* dicitur, quod, cum super terras esset, Luna esse credebatur, cum in terris, Diana, cum sub terris, Proserpina. v. Serv. ad Aen. 4, 511. *Triformis* vocatur Met. 7, 94. Eadem *Scythica*, *Colchica*, *Orthia*, *Orthosia*, *Taurobolos*, etc.

V. 80. *Alios Deos*] Sic contra MSS. ediderunt viri eruditi. Revocanda igitur lectio antiqua *aliquos Deos* i. e. alios quos. Nam *aliquis* vi sua significat alius quis. Terent. Heaut. 1, 1. 15. *fodere aut arare aut aliquid facere.* Suet. Tib. 47. *iis, quae ab aliquo ederentur, rarissime interfuit.* ubi v. Oudend. Adde Heusing. ad h. l.

V. 84. *Faciles unde meosque Deos*] Exquisite *unde* cum accus. construitur per ellipsin verborum *inveniam*, *parabo*, vel similium. Hor. 2. Serm. 5, 102. *Unde mihi tam fortem, tamque fidelem?* Senec. de Tranq. An. 3. *unde miserae civitati tot Harmodios?* Lucan. 7, 28. *Unde pares somnos populis, noctemque beatam?* v. Sanct. Minerv. 4, 5. p. 660. Gronov. Diatr. Stat. 9. et ad Senec. de Benef. 3, 36. et Heins. ad h. l.

Meos Deos] i. e. mihi propitios, mihi faventes. Ep. 2. 126. *Protenus illa meos auguror esse Deos.* ubi v. notata.

V. 85. *Tenues auras*] *Teneras auras* dixit Lucr. 1, 208. *Aera tenerum* Virg. Aen. 9, 698. v. Drakenb. ad Sil. Ital. 13, 162. Pro *vanescat* e MS. Guelf. scribendum *vanesceret*. Subjunctivo hic nullus locus est.

V. 89. *Et quota pars haec sunt*] Haec formula indicat, se multa omittere, quae Jason dixerit. Ov. Ep. ex Pont. 2, 10, 31. *Et quota pars haec sunt rerum, quas vidimus ambo?* Martial. 5, 65. *Ista tuae, Caesar, quota pars spectatur arenae?* Senec. Agam. 22. Quinctil. decl. 35. p. 690. *Quotam quamque partem habeo viventis?* ubi v. Intpp.

V. 93. *Jungis tauros*] i. e. jungis ad aratrum. Propria locutio. Virg. Aen. 8, 318. *Nec jungere tauros, Aut componere opes norant.* Sic *equos jungere* dicitur pro ad currum jungere. Ov. Met. 2, 118. *Jungere equos Titan velocibus imperat Horis.* Quo sensu etiam dictum est *currum jungere*. v. Drak. ad Sil. Ital. 6, 2.

V. 99. *Facinus miserabile!*] Est exclamatio parenthesi inclusa, qua frequenter utuntur poetae. Met. 13, 422. *Ultima conscendit classem, miserabile visu!* Virg. Aen. 12, 339. *Miserabile! caesis Hostibus insultans.* Hor. 2. Ep. 5, 79. *Venit enim, indignum! donandi parca juventus.* ubi v. Bentl.

V. 100. *Strictas manus*] i. e. exsertas, armatas. Amor. 1, 6, 14. *Non timeo strictas in mea fata manus.* Trist. 5, 2, 30. *Ut taceam strictas in mea fata manus.* Hor. 1. Carm. 6, 18. de felicissima Bentleji conjectura: *Nos proelia virginum Strictis in juvenes unguibus acrium Cantamus.*

V. 102. *Torto pectore*] Serpentes, quod se in gyros et nodos torquent, velut perpetuo epitheto *torti* dicuntur. Met. 4, 483. *tortoque incingitur angue.* Senec. Thyest. 96. *et tortos ferax Minaris angues.* v. Heins. ad Claud. in Rufin. 1, 66.

V. 103. *Regia conjux*] Non est regis filia, sed regis uxor: qui sensus ab hoc loco alienus. Neque *regiae* recte opponitur *barbara* v. 105. Itaque probamus acutam Oudend. conjecturam: *ubi tunc Ephyreïa conjux*, i. e. Corinthiaca Creusa. v. notata ad v. 27.

V. 105. *Illa ego*] Singularis vis est in pronomine *illa*. Met. 4, 226. *Ille ego sum, dixit, qui longum metior annum.* Plin. Ep. 1, 6. *Ego Plinius ille agros tres cepi.* v. Heins. ad Ep. 14, 95. 15, 78. Drak. ad Sil. Ital. 9, 128. et Markland. ad Stat. Sylv. 5, 3, 10.

V. 107. *Subduxi lumina*] i. e. surripui, clam abstuli visum. Met. 13, 61. *consilio vires subducit Achivis.* Hor. 1. Carm. 3, 28. *Post ignem aetherea domo Subductum.* v. Oudend. ad Lucan. 2, 475.

V. 110. *Munus in exsilio quodlibet esse tuli*] Burmann. hunc putat esse sensum: *licet exsilium esset miserum, beneficium tamen putabam, quia tecum fore me semper fingebam.* Sed simplicior et verior sensus hic est: Pro omnibus beneficiis, quae in te contuli, hoc munus accepi, ut mihi in misero exsilio vivendum sit.

Ferre munus] Est accipere. v. Ep. 6, 18.

V. 113. *Germanus*] Est Absyrtus, quem Medea in fuga interfecerat et membra variis locis disperserat.

V. 116. *Sed tecum*] Hoc referendum non ad Absyrtum, sed ad Jasonem. v. Intpp. ad h. l.

V. 118. *Credere se mari, procellis* et similibus proprie dicitur, qui peri-

cula subit, quae illa secum ferre possunt. Virg. Aen. 6, 15. *Praepetibus pennis ausus se credere coelo.* Petron. 115. *cum poneremus consilium, cui nos regioni crederemus.* ubi v. Burm. Ov. Trist. 2, 329. *Non ideo debet pelago se credere.*

Iamque nocens] Respicit ad opinionem veterum, qui credebant, nusquam vindictam divinam esse praesentiorem, quam in mari, si scelerati se illi committerent. v. Hor. 3. Carm. 2, 28. et Ov. Ep. 7, 57.

V. 119. *Numen ubi est?*] Sic exclamat, quasi negaret, Deos esse, qui praemia et poenas distribuerent. De hac veterum impietate v. Drak. ad Sil. Ital. 6, 87.

V. 121. *Symplegades*] Duo scopuli in Ponto Euxino, qui inter se concurrebant et confligebantur, sed, ex quo navis Argo transiisset, immoti stabant. Frequens eorum mentio apud expeditionis Argonauticae scriptores. v. Hygin. Fab. 19. et 21.

V. 123. *Mittere* exquisite dicitur pro projicere. Phaedr. 1, 23, 3. *Nocturnus cum fur panem misisset pani.* 2, 3, 2. *Tinctum cruore panem misit malefico.* Sen. Epist. 27. *Canem missa a domino frustra panis aperto ore captantem.* v. Gron. ad Sen. Consol. ad Marc. 5.

V. 124. *Debuit ingratis* etc.] More aliorum poetarum Ovidius confundit Scyllam, Phorci filiam, monstrum marinum, cum Scylla, Nisi filia, quae Minoem ingratum experta erat. v. Heins. ad Sab. Ep. 1, 33.

V. 125. *Vomit*] i. e. Charybdis, quae saepe a poetis fingitur non modo fluctus, sed etiam naves sorbere et revomere. v. Drak. ad Sil. Ital. 2, 307.

Resorbet] In vet. Cod. pro *resorbet* scribitur *recillet.* Quod verbum quale sit, negat Burm. se exputare posse. Si unam literam transponamus, existit elegantissima lectio *recellit.* Est autem *recellere*, reducere, in profundum rejicere, retrahere, ut *excellere* proprie est in altum tollere. v. Fest. in h. v. et Gron. ad Liv. 24, 34. et Obss. 1, 7.

V. 126. *Trinacria*] Antiquum nomen Siciliae, quae sic dicebatur a tribus promontoriis, nam ἄκρα Graece promontorium.

Supposuisset] i. e. submersisset. Met. 13, 953. *Pectora fluminibus jubeor supponere centum.*

V. 129. *Pietate nocentes*] Nempe Peliae filiae, credentes praestigiis Medeae, patrem ex sene juvenem fieri posse, eum occisum in aëno coxerunt. Fabulam narrat Ovidius Met. 7, 297. sqq.

V. 134. *Cede domo*] Solennis formula in divortio. Titinnius ap. Non. Marcell. p. 306. *nunciet uxori ut res suas procuret, aedibus facessat.* Martial. 2, 105. *Uxor, vade foras, aut moribus utere nostris.* v. Brisson. de Formulis. p. 698.

V. 138. *Lampades*] Dubitat Burm., lampades utrum sint lychnuchi pensiles, an faces nuptiales. Cum de nuptiis sermo sit, non dubitandum, faces esse, ut ap. Terent. Adelph. 5, 7, 9.

V. 139. *Tibia effundit carmina*] i. e. edit musicos sonos. Sen. Agam. 584. *Sacrifica dulces tibia effundat modos.* v. Gron. ad Plaut. Casin. 4, 3, 8. *Socialia* intellige conjugalia e graeco ζύγια. Sic Dii nuptiarum praesides ζύγιοι vocantur. Similis locus Apul. Met. 4. p. 312. *Sonus tibiae Zygiae*, i. e. socialis, *mutatur in querulum Lydium.* ubi v. Oudend.

V. 140. *Funerea tuba*] *Tubae* divitum, *tibiae* pauperum funeribus adhiberi solebant. Prop. 2, 10, 20. *Nec tuba sit fati vana querela mei.* ubi v. Passerat.

V. 143. *Frequentant*] i. e. saepe dicunt, repetunt. Auct. ad Herenn. 3, 24. *primas quasque partes in animo frequenta*, i. e. repete, frequenter cogita. Sen. Consol. ad Marc. 3. *memoriam alterius retinere ac frequentare.*

V. 144. *Hoc mihi pejus erat*] i. e. hoc majore dolore afficiebar. Ter. Adelph. 4, 5, 21. *Animo male est.* Catull. 39. *male est tuo Catullo.* Petron. 54. *pessime mihi erat.* Similiter dicuntur *bene* et *melius esse alicui.*

V. 145. *Diversi*] Ex vi praepositionis *dis* dicuntur, qui in diversa loca secedunt, et se ab oculis removent. Virg. Aen. 11, 855. *Cur, inquit, diversus abis?* Ov. Trist. 1, 3, 19. *procul Libycis aberat diversa sub oris.* v. Intpp. ad h. l. et ad Liv. 10, 33. An *aversi?*

V. 149. *Jussus studioque videndi*] Heins. legit *casu studione videndi.* Burm. *jussus studione videndi.* Nam *ne*, *an*, *num*, *utrum* cum bis poni deberet, interdum primo loco omittitur elegantius. Nep. Datam. 9. *experiri voluit, verum falsumne esset relatum.* Sall. Cat. 52. *bonis an malis moribus vivamus.* v. Mercer. ad Dict. Cret. 1, 19. et Bentl. ad Hor. 2. Serm. 3, 166. In talibus autem locutionibus subintelligendum *dubium est*, *incertum est*, v. Intpp. ad h. l. Verumtamen neutra conjectura necessaria est. Nam Medeae filius et jussus a matre et sponte cupidus videndi nova, ut puerilis aetas solet, ad januam constitit. v. Oudend. ad Suet. Domit. 17. Burmanniana correctio hoc quoque incommodi habet, quod fingendum est, Medeam oblitam esse mandati, quod filio dedisset. Quo nihil alienum magis.

V. 150. *Geminae foris*] i. e. *valvarum biforium*, ut ipse vocat Met. 2, 4. Trist. 4, 4, 74. *Quae stabat geminas ante cruenta fores.*

V. 151. *Hic*] Etsi proprie adverbium loci est, tamen transfertur ad res alias, et saepe significat, cum ita se res habeat, cum res eo loco sit. Terent. Andr. 2, 3, 15. *Hic reddes omnia.* Cic. Phil. 8, 4. *Hic mihi etiam pacis commoda commemorat.* ad Div. 5, 15. *Hic tu ea me abesse urbe miraris.* ubi v. Manut. Ov. Met. 2, 126 *Si potes hic saltem monitis parere paternis.* v. Intpp. ad Phaedr. 1, 14, 15.

V. 152, *Adjunctos*] sc. ad currum. v. notata ad v. 93.

Aureus] i. e. aureis vestibus ornatus. Male Burm. accipit de curru aurato, laudans Art. Amat. 1, 214. *Quatuor in niveis aureus ibis equis.* ubi nihil vetat *aureus* de vestibus capere; ut Am. 1, 2, 42. *Ibis in auratis aureus ipse rotis.* Ceterum hic de nuptiali pompa locus fugiebat Brisson. de Ritu Nupt. p. 322. ubi negat, Romani moris fuisse, ut nova nupta in mariti domum curru transveheretur.

V. 155. *Ire suadebat*] Pro suadebat, ut irem. Haec constructio aliis etiam poetis usitata, ut Virg. Ecl. 1, 56.

V. 156. *Compositis comis*] Hujus locutionis proprietatem illustravimus ad Ep. 4, 77.

V. 160. *Inferiae* dicuntur sacrificia ex aqua, lacte, vino, sanguine, illata aris ad manes placandos. v. Virg. Aen. 3, 66. et Fest. in v. Deinde sic etiam dicuntur parentationes vel vindicta caedis suorum. Nam manes hominis occisi non ante quiescebant, quam hostium sanguine essent placati. v. Met. 12, 367.

V. 161. *Deseror conjuge*] Dicitur pro deseror a conjuge. Nam praepositio aliquando omittitur. Hirt. bell. Alex. 78. *Quo rem feliciter gestam supra scripsimus.* ubi v. Oudend.

V. 162. *Omnia erat*] Formula e graeco ducta eleganter dicitur, quem magni facimus. Liv. 40, 11. *Demetrius iis unus omnia est.* Auson. in Grat. Act. p. 705. *unus mihi omnia Gratianus.* v. Intpp. ad Vell. Pat. 2, 103. et Heusing. ad Veelm. Hellenolex.

V. 164. *Perdomuisse*] Pro perdomare.

V. 165. *Doctis medicatibus*] *Doctus* saepe tribuitur rebus vel instrumentis, quibus quid a docto et perito artifice efficitur. Met. 9, 742. *num me puerum de virgine doctis Artibus efficiet?* Prop. 2, 15, 12. *Et vitem docta ponere falce comas.* ubi v. Broukh.

V. 168. *Hecates*] i. e. Dianae triformis, in qua magae sibi maximum praesidium ponebant. Met. 7, 178. *Tuque, triceps Hecate, quae coeptis conscia nostris Adjutrixque venis.* *Potens* Hecate dicitur, quod multum poterat per magicas artes. Sic Val. Flacc. 6, 46. de Medea maga: *nocturnis qua nulla potentior aris.*

V. 169. *Vigilantur*] i. e. vigilando transiguntur. Art. Am. 1, 735. *Attenuant juvenum vigilatae corpora noctes.*

V. 170. *Tener somnus*] Est facilis, mollis. Art. Am. 2, 546. *Cum tener ad partes tu quoque, somne, venis.* Stat. Sylv. 1, 3, 43. *et teneros invitant murmura somnos.* ubi v. Markland.

V. 172. *Cura, curatio, curare* propria sunt verba medicorum. Grat. Cyneg. 366. *Illa gravis labes, et cura est altior illis.* Cels. de Med. 2, 10. *in cura aquae, quae inter cutem est.* ubi v. Drak. ad Liv. 2, 17.

V. 175. *Se jactare alicui* significat se gloriose efferre, ut illi placeas. Ov. Ep. 21, 62. *Quod mihi te jactas.* v. Burm. ad Trist. 4, 3, 53.

V. 178. *Vitiis laeta*] *Laetus* cum ablativo construit etiam Ep. ex P. 4, 9, 34. *imperii laetus honore tui.* Lactant. 6, 5. *publicis laetus erroribus.*

V. 179. *Tyrio jaceat sublimis in ostro*] h. e. accumbat mensae in toro alto et strato purpureis vestibus. *Jacere* proprie dicitur pro accumbere mensae. Ov. Met. 9, 237. *quam si conviva jaceres.* Sen. Agam. 879. *Et ipse picta veste sublimis jacet.* v. Heins. ad h. l.

V. 180. *Adusta*] Scilicet Medea Creusae coronam, veneno infectam, ut donum nuptiale misit, qua periit adusta. v. Hyg. Fab. 25. et ibi Intpp.

V. 184. *Animis verba minora*] h. e. verba humiliora, quam decent altos spiritus meos. Met. 6, 151. *Cedere coelitibus verbisque minoribus uti.* Prop. 4, 9, 32, *Et jacit ante fores verba minora Deo.* Minoribus verbis opponuntur *magna verba*, *magna loqui.* v. Broukh. ad Tibull. 2, 6, 11. et eruditiss. Koenium in praef. ad Greg. de Dial. p. 9.

V. 194. *Auxilium refer*] *Referre* h. l. est vicissim ferre, ut in locutionibus *acceptum referre*, *gratiam referre.*

V. 195. *Implorare auxilium* est auxilium cum miseratione deposcere, ut ait Serv. ap. Virg. Aen. 10, 19. Ov. Met. 13, 65. *cum imploraret Ulyxen.* Liv. 29, 9. *militem implorabant.* ubi v. Intpp.

V. 196. *Quiescat*] i. e. dormiat. *Quies*, *requies*, *requiesco* saepe sic dicuntur.

V. 199. *Numerare* est statim exhibere, repraesentare. Nep. Timoth. 1. *cum Laco numeratam pecuniam accepisset.* *Numeratae pecuniae* opponitur perscripta, cum non ex arca solvimus, sed de mensa argentarii per assignationem. v. Ernest. clav. Cic. v. Perscribere.

V. 204. *Sisyphias opes*] i. e. Corinthiacas, a Sisypho, Aeoli filio, Ephyres, vel Corinthi conditore. v. Apollod. 1, 9. p. 38.

V. 207. *Quos equidem actutum*] sc. perdam, ulciscar. Est figura ἀποσιώπησις.

V. 208. *Parturire* metaphorice dicitur, qui rem, quam cogitat, tanquam maturam, mox in lucem prolaturus est. Cic. p. Mur. 39. *periculum conceptum respublica parturit.* Philipp. 2. ult. *utinam reipublicae dolor pariat, quod jam diu parturit.*

V. 211. *Viderit ista Deus*] Hac formula declaramus, nos in proposito perseverare, sed ejus eventum aliis permittere. Virg. Aen. 10, 744. *de me Divum pater atque hominum rex Viderit.* Art. Am. 3, 671. *Viderit utilitas; ego coepta fideliter edam.* v. Heins. ad 1. Ep. Pont. 2, 9. et Intpp. ad Petron. 61.

Versare pectus vel *animum* alicujus dicitur, qui quem modo in hanc, modo in illam sententiam impellit. Prop. 4, 5, 61. *His animum nostrae dum versat Acanthis amicae.* Liv. 21, 30. *varie militum versat animos castigando adhortandoque.* ubi v. Drak.

V. 212. *Agit*] i. e. cogitat, agitat. Suet. Caes. 44. *Talia agentem atque meditantem mors praevenit.*

Epist. XIII.

V. 1. *Mittit et optat amans*] Constructio haec est: Laodamia Aemonis mittit salutem viro Aemonio, et amans optat eo ire, quo mittitur, scil. salus. Sic Ep. 18, 1. *Mittit Abydenus, quam mallet ferre, salutem.*

V. 3. *Aulide*] Urbs Boeotiae e regione Chalcidis, ubi Graecae naves Trojam profecturae convenerunt. Hic ventus adversus diu tenuit Graecos.

V. 8. *Sunt, quae*] Graeco more ὑφ' ἓν accipiendum, et perinde est, ac si scripsisset *quaedam*, *aliqua.* Hunc Graecismum illustrat Bentl. ad Hor. 1. Carm. 1, 3.

V. 9. *Qui tua vela vocaret*] Venustissime res inanimatae, quae invitant, suadent, moram negant, *vocare* dicuntur. Rem. Am. 532. *Quoque vocant fluctus, hac tibi remus eat.* Val. Fl. 3, 3. *Tiphyn placida alta vocabant.* Stat. Theb. 5, 468. *clementior Auster Vela vocat.* v. Drak. ad Sil.

Ital. 10, 112. Similiter Graeci utuntur verbo *καλεῖν*. v. notas nostras ad Hesych. v. *ἀκμῇ καλεῖ*.

V. 12. *Protesilaus*] Iphicli filius, ante dictus Iolaus, sed cui deinde Protesilai nomen inditum est, quod primus e navi in terram Trojanam descendit. v. Hom. catal. nav. 205. et ibi Graecos Intpp.

V. 15. *Incumbere*] Proprium verbum de vehementi flatu ventorum. Justin. 4, 1. *acrior per spiramenta ventus incubuit.* Quinctil. 5, 9. *fluctus esse, quum magna vis venti in mare incubuit.* v. Burm. ad Val. Flacc. 2, 59.

V. 18. *Usque*] Significat continuum alicujus temporis aut morae. Virg. Ecl. 9, 64. *Cantantes licet usque, minus via laedat, eamus.* v. Gron. Obss. 3, 19.

V. 21. *Fugax*, *fuga*, *fugere* poetae dicunt de celeri et incitato cursu, etiam nullo urgente vel insequente. Sic *fugax equus* est velox. Trist. 4, 2, 60. *In coelum celeri pervenit ille fuga.* v. Gron. ad. Senec. Thyest. 629. et Intpp. ad Valer. Flacc. 3, 584.

V. 23. *Tenebris obortis*] In animi deliquio semper tenebrae oculis offunduntur. Plaut. Curc. 2, 3, 30. *Tenebrae oboriuntur, genua media succidunt.* Art. Am. 2, 88. *Nos oculis pavido venit oborta metu.* v. Intpp. ad h. l.

V. 24. *Succiduo genu*] h. e. cadente, labente. Met. 10, 458. *Poplite succiduo genua intremuere.* Stat. Theb. 4, 324. *Poplite succiduo resupinum ac paene cadentem.*

V. 25. *Acastus*] Laodamiae pater. v. Hygin. Fab. 103. 104. et Burm. in Catal. Arg. v. Acastus.

V. 30. *Momordit*] h. e. dolore affecit. Amor. 2, 19, 43. *Mordeat ista tuas aliquando cura medullas.* Hinc morsus pro aculeo Ep. 19, 114.

V. 31. *Praebere capillos*] Nempe ancillabus, quae *ornatrices* vocabantur. De illis v. Reines. ad Inscriptt. cl. 1. num. 89

V. 33. *Pampinea hasta*] Sic vocat Bacchi thyrsum vel baculum vitis frondibus obvolutum. Met. 3, 667. *Pampineis agitat velatam frondibus hastam.* Val. Flacc. 2, 269. *Pampineamque quatit ventosis ictibus hastam.*

Bicorniger] h. e. Bacchus, cui veteres duo cornua tribuebant. Ep. 15, 23. *Accedant capiti cornua, Bacchus eris.* v. Tibull. 2, 1, 3. et ibi Broukh.

V. 34. *Huc illuc*] Omittitur copula *et*, ut Ep. 20, 130. *Anxius huc illuc dissimulanter eo.* Liv. 7, 34. *dum huc illuc signa vertunt.* ubi v. Drakenb.

V. 35. *Matres Phylleides*] Sic Heins. edidit, conjecturam secutus. Sed retinenda est omnium librorum scriptura *Phylaceïdes*, quae sunt nuptae matronae ex urbe Thessaliae Phylace. v. Hemsterh. ad Luc. D. M. p. 427.

V. 37. *Scilicet*] Inservit ironiae. Ter. Andr. 1, 2, 14. *Id populus curat scilicet.* Etiam *nempe* per ironiam usurpatur. Ov. Met. 13, 39. *Nempe ego mille meo protexi pectore puppes.* Item *quippe*. Virg. Aen. 1, 39. *Quippe vetor fatis.*

Saturatas murice vestes] *Lana* saepe dicitur *colorem bibere* vel *sorbere*. Art. Am. 3, 187. *Lana tot aut plures succos bibit.* Quae vero plene et penitus tincta est, proprio verbo dicitur *saturari*. Met. 11, 166. *Verrit humum Tyrio saturata murice palla.* Lucan. 8, 304. *multo saturantur tela veneno.* Ipse etiam color plenus, vehemens et diluto oppositus dicitur *satur* et *saturatus*. v. Plin. H. N. 21, 8. et Salmas. ad Tertull. Pall. p. 179.

Murex est genus ostreae, ex cujus sanguine color purpureus conficiebatur. v. Plin. H. N. 9, 25. Unde *murex* et *ostrum* pro purpura ponitur.

Vestes] Pro hac voce MSS. quidam exhibent *lanas*; ex quo Burm. facit *laenas*. Sic Virg. Aen. 4, 262. *Tyrioque ardebat murice laena.* ubi Serv. observat, *laenam* a nonnullis etiam muliebrem vestem dici.

V. 38. *Me gerat*] Scribendum e MSS. *geret*. Nam in hujusmodi interrogationibus indicativus modus usurpatur. Rem. Am. 2, 129. *Ut valeas animo, quicquam tolerare negabis?* v. Heusing. ad h. l.

V. 41. *Qua possum*] h. e. quantum possum. Ep. 5, 56. *Qua licet.* Hor. 1. Serm. 2, 50. *Quaque modeste Munifico esse licet.* Vell. Paterc. 2, 37. *Qua Luculli armis erat infractus.* ubi v. Intpp.

V. 42. *Tempora agam*] h. e. transigam. v. not. ad Ep. 12, 58.

V. 43. *Dux Pari*] Verissime Bentl. ad Lucan. 3, 250. et Hemst. ad

Luc. T. 1. p. 411. praeter alios legunt *Duspari.* Vertit enim Ovidius Homerum Il. γ, 39. *Δύσπαρι, εἶδος ἄριστε, γυναιμανὲς, ἠπεροπευτά.* *Dusparis* eodem modo dicitur, quo *Pseudophilippus*, *Pseudodamasippus* apud Cic. et alios.

V. 45. *Taenariae*] h. e. Helenae. v. ad Ep. 8, 72.

V. 50. *Iupiter redux* dicitur reducens, qui maritum reduxit. Sab. Ep. 1, 78. *Jam reduci solvens debita vota Jovi.* Martial. 8, 15. *Omnis et ad reducem dum litat ara Jovem.* Sic in nummis et literatis saxis celebratur *Fortuna redux*, quae homines e bello aut longinqua peregrinatione reducebat. v. Gesner. ad Claud. de VI. Cons. Honor. 1.

Det arma Jovi] Veteres artem, quam factabant, desinentes, ejus instrumenta Diis dedicabant. Et sic milites, confecto bello, quae gesserant arma, in templis suspendebant. Trist. 4, 8, 21. *Miles, ut emeritis non est satis utilis annis, Ponit ad antiquos, quae tulit, arma Lares.* v. Lucan. 1, 240. et Sil. Ital. 10. 600.

V. 51. *Quoties subit bellum*] h. e. quoties memini belli, in mentem venit belli. Virg. Aen. 2, 562. *subiit deserta Creusa.* Usitatius est *subit me* vel *animum meum.* v. Burm. ad Ep. 18, 62.

V. 55. *Nisi se defendere posset*] Recte Burm. legit *nisi si.* Subintellige *Helenam.* v. not. ad Ep. 4, 111.

V. 58. *Fera bella*] Perpetuo epitheto dicuntur. Sil. Ital. 4, 357. *Fera proelia fratres Miscebant.* ubi v. Drakenb.

V. 60. *Regni pars quota quaeque sui*] h. e. omnes cives sui. Art. Am. 3, 103. *Forma quota quaeque superbit.* Male Burm. jubet per interrogationem legi. Nam tunc sensum contrarium habet, et *paucos* significat. v. not. ad Ep. 12, 89.

V. 61. *Gemellis*] h. e. Castore et Polluce.

V. 66. *Signatum memori pectore nomen habe*] Loquendi ratio ducta est ab annulo signatorio, cujus bene impressi vestigia non facile delentur. Cic. Acad. 4, 22. *nihil ita signari in animis nostris a vero posse, quod non eodem modo possit a falso.* Ceterum *signatum habere* ponitur pro signare, ut *expertum habere* pro experiri, *perspectum habere* pro perspicere, *compertum habere* pro comperire etc. v. Manut. in Cic. ad Div. 2, 16. 10, 24. et Cort. ad Sall. Cat. 58.

V. 68. *Multos illic Hectoras esse puta*] h. e. multos viros fortes, qualis Hector. Suet. Caes. 1. *Caesari multos Marios inesse.* Quibus locis proprium nomen ponitur pro indole et natura, ut supra docuimus.

V. 69. *Et facito dicas*] Scil. tecum. Alioquin ignavus habitus esset.

V. 71. *Sub milite*] Saepissime praepositio *sub* causam vel instrumentum notat. Met. 13, 190. *Difficilem tenui sub iniquo judice causam.* Flor. 4, 8. *sub percussore mori.* v. Burm. ad Met. 5, 62.

V. 74. *Ut rapiat Paridi*] Perinde ac si scripsisset *a Paride.* Met. 13, 772. *Lumenque, quod unum Fronte geris media, rapiet tibi.* De hoc dativo v. Drakenb. ad Liv. 3, 50.

V. 77. *Vivere pugna*] h. e. da operam, ut vivas. De verbo *pugnare* cum infinitivo constructo v. notata ad Ep. 3, 25.

V. 78. *Dominae*] Mariti per blanditias uxores suas *dominas*, uxores maritos *dominos* vocabant. Imprimis amatores amicas hoc nomine salutabant. v. Am. 3, 7, 11. Rem. Am. 663. Lips. ad Tacit. Ann. 2, 87. Exc. P. et Brisson. de V. S. v. *Domina.*

V. 81. *Concurrere* proprie dicitur de certamine pugnantium, quod cursu fere fieri solebat, quoniam cursu plurimum tela concitantur, teste Liv. 34, 38. v. Freinsh. Ind. Justin. h. v.

V. 83. *Fortius ille potest*] h. e. multo fortius ille pugnat in Veneris certamine, quam in Martis. v. Intpp. ad h. l.

V. 85. *Animus ferebat*] h. e. consilium, voluntas erat. Familiaris poetis et historicis locutio. v. quos laudat Oud. ad Front. 2. praef.

V. 88. *Offenso limine*] Pedum in limine offensiones sinistrum omen esse habebantur. Tibull. 1, 3, 19. *O quoties ingressus iter mihi tristia dixi Offensum in porta signa dedisse pedem.* ubi v. Broukh.

V. 90. *Reversuri*] Recipienda erat e MS. lectio *recursuri*. *Currere* et *recurrere* proprie dicuntur de navigatione. v. not. ad Ep. 6, 59.

V. 91. *Animosus*] In laudem dicitur pro forti, strenuo. Hor. 1. Carm. 19, 11. *Et versis animosum equis Parthum.* Trist. 4, 6, 3. *Tempore paret equus lentis animosus habenis.*

V. 93. *Sors* dicitur responsum oraculi, quamvis non sorte, sed voce vatis edatur. Justin. 12, 11. *Non in patria fuisse sibi periculosam sortem.* Sen. Oed. 283. *In tempore ipso sorte Phoebea excitus.* Apul Metam. 4. p. 157. *Sed Apollo sic Latina sorte respondit.* v. Drak. ad Liv. 5, 16.

V. 95. *Ademtum*] h. e. occisum, mortuum. Ep. 1. ex P. 9, 41. *Jure igitur lacrymas Celso libamus ademto.* Ep. 15, 115. *gnati pia mater ademti.* v. Drakenb. ad Liv. 3, 50.

V. 98. *Fatigatas aquas*] Saepe poetae loca, in quibus, vel instrumenta, quibus quid strenue exerceetur, *fatigari* dicunt. Virg. Aen. 9, 605. *Venatu invigilant pueri, silvasque fatigant.* ubi v. Cerdam. Sil. Ital. 2, 715. *cursuque fatigant Haemum innupta manus.* ubi v. Drakenb. Met. 1, 573. *et sonitu plus quam vicina fatigat.* Sic ap. Val. Flacc. 4, 20. *fessae silvae* dicuntur, quas Hercules clamore fatigaverat.

V. 101. *Remoque move veloque*] Veterum naves remis et velis simul instructae erant. Utroque armamento adhibito navis celerius et vehementius propellebatur. Unde ortum est proverbium *velis remis* de summa contentione. v. Cic. ad Qu. Fr. 2, 14.

V. 104. *Dolor venire* vel *esse* dicitur, qui doloris causa est, dolorem parit. Ep. 11, 111. *Nate, dolor matris.*

V. 107. *Lectus caelebs* est *viduus*, ut supra vocat, ubi deest maritus. Catull. 67, 6. *Desertum in lecto caelibe.* *Caelebs* autem non modo is dicitur, qui nunquam uxorem habuit, sed etiam, qui morte amisit, vel viduus.

V. 111. *Excutior somno*] h. e. subito expergefio. Met 9, 694. *velut excussam somno, et manifesta videntem.* v. Virg. Aen. 2, 302. et ibi Cerdam, et Heins. ad h. l.

Simulacra noctis] h. e. somnia. Ep. 9, 39. *simulacraque inania somni.* Alibi vocat *imaginem noctis.* Solebant autem tristia somnia sacrificiis expiari. Ep 19, 193. *confundor imagine noctis, Quamvis est sacris illa piata meis.* v. Tibull. 3, 4, 9. et ibi Broukh.

V. 113. *Lacrymam*] Poetice pro *lacrymas*, singulari pro plurali. Trist. 1, 8, 19. *Inque meos si non lacrymam dimittere casus.* v. Broukh. ad Prop. 2, 16, 17.

V. 114. *Surgere flamma* dicitur, quae crescit, quae clarior fit. Sil. Ital. 11, 219. *A torvo surgebant lumina flammae.* ubi v. Drak. Quoniam vero in flamma vehementius relucente laetum omen esse veteres credebant, semper vinum in aram fundebant, unde millies junguntur *thus* et *merum*. Suet. Aug. 35. *ut thure ac mero supplicaret apud aram ejus dei, in cujus templo coiretur.*

V. 116. *Languida laetitia solvar ab ipsa mea*] Burm. aestuat et laborat in hoc versu explicando, et tandem praefert editionum nonnullarum lectionem: *Languida tristitia solvar ab ipsa mea.* Sed nihil mutandum. Sensus, quem pulcre vidit Gesnerus in Thes. L. L., hic est: *interficiar nimio gaudio, deficiam prae nimio gaudio.* Ov. Art. Am. 2, 317. *modo solvimur aestu.* Met. 11, 648. *molli languore solutum Deposuit caput.* Petron. 111. *si soluta inedia fueris.*

V. 121. *Narrantia verba*] Pro verba narrantis. Sic Ep. 11, 69. *precantia verba.* v. Heins. ad h. l.

V. 124. *Spes victa timore*] Sic Ep. 15, 176. *victus amore timor.* v. Bentl. ad Hor Carm. 3, 27, 34.

V. 130. *Quisque redire domos*] *Quisque* ut collectivum nomen, construitur cum plurali *redite*. Ep. 19, 169. *Quisque suas iterum redeamus ad urbes.* Vim exemplorum Drak. ad Liv. 2, 22. collegit.

V. 132. *Numinis*] Subintelligenda particula disjunctiva *sed*, quae millies omittitur. v. Oudend. ad Lucan. 2, 86. et Drak. ad Liv. 1, 25.

V. 134. *Inachiae rates*] h. e. naves Graecae, quae sic dicuntur ab antiquissimo omnium rege, Inacho.

V. 135. *Sed quid ego revoco haec*] Aureae aetatis poetae ultimam syllabam in *ego* aut corripiunt aut elidunt, nunquam producunt. Quod argumento est, hunc versum aliquid vitii traxisse. Et multum variant in ejus lectione libri veteres. Cl. Oudend. Ovidium hoc modo scripsisse putabat: *sed quid ego haec? revocone? omen revocantis abesto.* In verbis *Sed quid ego haec?* intelligendum *dico*, ut Ep. 15, 207. ubi v. Heins. Mali vero ominis habebatur, retinere, morari et revocare aliquem ab itinere. Quinctil. Decl. 6, 6. *relatus est inauspicatum metiens iter, prorsus ominose retentus.* Heusing. ex codicis auctoritate legere malit: *Sed quid ego revocans?*

V. 136. *Blanda aura*] Est placida, tranquilla. Ita *blandas aquas* dixit Met. 4, 344.

Aura secundet] *Secundare* est secundum vel prosperum reddere. v. Sil. Ital. 8, 124. et ibi Drak. Proprie de vento dicitur, cum *secundus* est, sive a puppe venit. Prop. 3, 20, 14. *Jam liquidum nautis aura secundat iter.*

V. 137. *Troasin*] Est dativus Graecus pro *Troadibus*, de quo v. Heins. ad. h. l.

V. 143. *Producetque virum*] h. e. foras ducet, honoris causa comitabitur. Prop. 4, 1, 85. *Cum geminos produceret Arria natos.* Val. Flacc. 5, 382. *Ad sua Caucaseae producunt flumina Nymphae.* Inde etiam ad funebrem pompam transfertur. Lucan. 2, 298. *longum producere funus Ad tumulos.* v. Burm. ad. h. l.

Mandata reverti] Pro revertendi, infinitivus pro gerundio, more Graeco. v. Vechneri Hellenolex. p. 265.

V. 144. *Face*] De hoc imperativo diximus ad Ep. 2, 98.

V. 151. *Dum arma geris*] Antiquiores editiones bene habent *geris.* Male Heinsius. Codd. *geres* et *geras.* Nam particula *dum*, temporis praesentis actum indicans, requirit indicativum. v. Drakenb. ad Liv. 1, 40.

Diverso in orbe] h. e. in alia et remota orbis regione.

V. 152. *Referat*] Imago, quae similis est vultui, proprie dicitur *vultum referre.* Stat. Sylv. 3, 3, 200. *Te similem doctae referet mihi linea cerae.* v. Intpp. ad Sil. 2, 634.

Cera] Est imago ex cera ficta. v. Rem. Am. 723. et Markl. ad Stat. Sylv. 1, 3, 51.

V. 157. *Teneoque sinu pro conjuge vero*] Veteres carorum hominum effigies in cubiculis suis ponere, amplecti et sinu fovere solebant, de quo more v. Intpp. ad Sil. Ital. 8, 92.

V. 158. *Verba referre*] Saepe *narrare* significat, hoc vero loco sumitur pro *respondere.* Met. 3, 462. *Verba refers, aures non pervenientia nostras.* Aliquando simpliciter hoc sensu dicitur *referre.* Fast. 5, 278. *Vix bene desieram: retulit illa mihi.* Virg. Aen. 4, 31. *Anna refert*, ubi v. Intpp. Et ita in judiciis *referre* pro respondere accusationi, poni docuerunt Hotom. et Graev. ad Cic. p. Quint. 13.

V. 159. *Mea numina*] V. nott. ad Ep. 2, 126.

V. 160. *Animi conjugiique faces*] Vocat ardentem amorem, ut Ep. 16, 50. *Pectoris, ut nunc est, fax fuit illa mei. Faces conjugii* supra explicuimus.

V. 161. *Ut videam*] *Ut* pro utinam accipiendum, quo sensu frequens est apud Comicos. v. Ter. Eun. 2, 3, 9.

V. 162. *Quod tecum possis etc.*] Versus sine dubio vitiosus. Nam *quod* abundat, et *tecum ipse* friget. Oudend. *haud laesum.*

V. 164. *Quod heu timeo*] Laodamia dicere volebat: *sive peribis, sive superstes eris.* Verum quia verbum *peribis* ominosum fuisset, abrumpit sermonem. Hanc elegantissimam aposiopesin multis exemplis illustrat Drakenb. ad Sil. 9, 55.

V. 165. *Claudetur*] h. e. finietur. Ep. 20. v. ult. *Clausaque consueto sit sine fine: vale.* ubi v. Burm. Cic. ad Div. 2, 4. *Utar ea clausula, qua soleo.* Etiam in aliis locutionibus *claudere* notat finire, ut *claudere opus.* Fast. 3, 383. *claudere aevum.* Sil. 13, 686. ubi v. Drak.

Epist. XIV.

V. 1. *Hypermnestra*] Observanda est syllaba *a*, communis in Graecis femininis in *η* exeuntitibus, ut *Europa*, *Leda*, *Phaedra*, *Circa*, *Penelopa* et similibus. v. Heins. ad Virg. Aen. 3, 400. et Bentl. ad Hor. Epod. 17, 17. et ad 2. Serm. 5, 76.

V. 2. *Jacet*] h. e. interfecti sunt. Infra v 79. *generos ex caede jacentes.* Ep. 3, 106. *Qui bene pro patria cum patriaque jacent.*

V. 4. *Fuisse piam*] De hac constructione dicemus infra ad v. 64.

V. 5 *Jugulo demittere ferrum*] In hac locutione semper scribendum *demittere*, non *dimittere*. Nam gladius in corpus descendit; *dimittitur* autem gladius, qui e manu emittitur. Val. Max. 9, 9, 2. *jugulo suo gladium capulo tenus demisit.* Senec. de Ira. 1, 15. *morbidis pecoribus ferrum demittimus.* v. Lucan. 7, 621. et ibi Oudend.

V. 8. *Immunes caedis*] h. e. puras, expertes caedis. Val. Flacc. 1, 77. *Te viridem videt immunemque senectae.* v. Bentl. ad Hor. Carm. 3, 23, 17.

V. 9. *Igne, quem non violavimus*] Non convenit inter Intpp., de quo igne loquatur Ovidius. Intelligendus ignis sacer in ara, ad quam in nuptiis sacrificabatur. Quam interpretationem confirmat Vs. 26. *Dantur in invitos impia tura focos.* Gr. *θύειν γάμους*.

V. 14. *Non es*] Si hanc lectionem sequimur, intelligendum est, Hypermnestram se ipsam alloqui. Sed verior est Heusingeri emendatio: *Non est, quam piget esse, pia.*

V. 18. *Praepedit*] i. q. impedit. Liv. 7, 36. *pavore praepediti nec arma impigre capere poterant.* v. Drak. ad 28, 1.

V. 20. *Scribere de facta non sibi caede timet*] Ordo constructionis hic est: Timet scribere de caede non facta sibi, h. e. a se.

V. 23. *Inachides*] Danai filiae dicuntur, quia pater originem trahebat ab Ione, Inachi filia, et Epapho. v. Apollod. 2, 1, 3. 4.

Magni sub tecta tyranni] Edd. omnes legunt: *magni sub tecta Pelasgi*, quam lectionem temere expulit Burm., nesciens, quis ille *Pelasgus* esset. Res ita se habet. Danaus, pulsus a fratre Aegypto, fugit ad Pelasgum, Argivorum regem, de quo v. Aesch. Suppl. 258. et Spanh. ad Callim. H. in Pall. 4. Muncker. ad Hygin. Fab. 145. Eo etiam venit, fratrem persequens, Aegyptus, non minus hospes Pelasgi, quam frater Danaus. Hic ita inter fratres convenit, ut quinquaginta Danai filiae nuberent totidem filiis Aegypti. Nuptiae deinde celebratae sunt, et caedes sponsorum perpetrata in regia ejusdem Pelasgi. v. Hygin. Fab. 168.

V. 24. *Accipit aede nurus*] Legendum *accipit ipse nurus*, ut habent editiones veteres. v. Heusing. Nam haec omnia gesta sunt, non in aedibus soceri Aegypti, sed in regia Pelasgi, ut modo diximus.

V. 25. *Praecinctae lampades auro*] h. e. lychnuchi aurati. Stat. Theb. 1, 521. *tendunt auratis vincula lychnis.*

V. 26. *In invitos focos*] Millies poetae rebus inanimatis figurate tribuunt voluntatem, scientiam et alia, quae hominibus tantum tribui possunt. Met. 8, 514. *Invitis correptus ab ignibus arsit.* Senec. Thyest. 768. *Ignis invitus ardet.* Sil. Ital. 17, 413. *bibit tellus invita cruorem.* ubi v. Drak. Ex his apparet, falli Ill. Boherium, qui in Cic. de N. D. 2, 35. pro *invita in hoc loco versatur oratio* corrigit, vel potius corrumpit *invisa* etc., addita ratione, quod *invitus* vox sit accommodata personis, non rebus, voluntate carentibus.

V. 28. *Ab urbe sua*] h. e Argis, quae in Junonis tutela erat, ut ex omnibus inde ab Homero poetis constat.

V. 29. *Mero dubii*] Dicuntur, qui prae ebrietate vacillant, titubant, nutant. Sic ap. Sil. 10, 458. *dubia cervix* est fluctuans, quae nunc riget, nunc flaccescit.

Comitum clamore frequentes] Omnino scribendum *frequenti*. Alterum non est latinum. Amor. 1, 7, 37. *Quaeque tuos currus comitantur, turba frequenter Clamet.* v. Intpp. ad h. l. Burm. ad Virg. Aen. 9, 466.

V. 30. *Flore*] i. e. corona, ut Ep. 4, 71. *praecincti flore capilli.*

Madidas comas] i. e. unguento delibutas. Am. 1, 6, 38. *Madidis lapsa corona comis.*

Impediente] Verbum *impedire*, etsi proprie de pedibus dicitur, tamen ad alia transfertur, et in genere notat implicare, ambire, vincire, cingere. Amor. 3, 6, 56. *Vitta nec evinctas impedit alba comas.*

V. 32. *Strata funere digna premunt*] h. e. quae magis funus, quam thalamum, decerent. Ep. 6, 42. *Faxque sub arsuros dignior ire rogos.* Itaque non opus est Burmanni conjectura: *Strataque funeribus corpore dicta premunt.*

V. 35. *Cibo vinoque graves*] In hac locutione *gravis* vel *gravatus* est repletus vel onustus. Met. 3, 608. *Ille mero somnoque gravis* etc. Liv. 1, 7. *Ibi quum eum cibo somnoque gravatum sopor oppressisset.* 4, 37. *Festo die graves somno epulisque.* ubi v. Drakenb.

V. 36. *Audibam*] Pro *audiebam.* Sic veteres, praesertim comici, etiam dixere *scibam*, *lenibam*, *nutribam*, *polibam* etc. v. Voss. de Anal. 3, 34.

V. 39. *Fragiles aristae*] Minus accommodatum huic loco epitheton *fragiles.* Neque enim de aristarum fragilitate, sed de agitatione agitur quae, quo sunt tenuiores, eo facilius *vibrantur*, vel, ut alii codd. legunt, *agitantur.* Itaque in textum altera MSStorum lectio recipienda erat: *graciles vibrantur aristae.* Am. 1, 7, 55. *Ut leni Zephyro gracilis vibratur arundo.*

V. 44. *Erigor*] h. e. e lecto, quem premebam, excitor. Val. Flacc. 1, 257. *Ut puer ad notas erectum Pelea voces Vidit.*

V. 46. *Recidit*] Notanda ambigua syllaba prima in *recidit.* v. Heins. ad h. l.

V. 50. *Casta dextra*] h. e. innocens, pura, nullo scelere contaminata. Cic. Phil. 13, 4. *casta res familiaris a cruore civili.* p. Rosc. Com. 7. *perjurum castus fraudasse dicitur.* Ov. Ep. ex Pont. 2, 1, 33. *Justitiamque sui caste placasse parentis.* ubi v. Heins.

Refugit opus] h. e. exhorruit, expavit. Senec. Herc. Oct. 1719. *Num manus pavida impium Scelus refugit?* Rem. Am. 604. *dubitat, refugitque quod audet.*

V. 55. *Mitis natura*, quia femina, *mitis annis*, quia virgo. v. Bentl. ad Hor. A. P. 157.

V. 61, *Quo meruere*] h. e. quare, quam ob rem. Virg. Aen. 2, 150. *Quo molem hanc immanis equi statuere?* 12, 879 *Quo vitam dedit aeternam?* v. Heins. ad h. l. Totum versum ita scribendum et interpungendum ducit Hensing.: *Quo meruere necem? patruelia regna tenendo?*

V. 62. *Externis danda forent generis*] Nullus ap. Ovid. pentameter in verbum trisyllabum exit, nisi in in libris Tristium et ex Ponto, quibus ultimam limam defuisse constat, et Ep. 19, 204. quae ab alio poeta scripta putatur. v. Broukh. ad Tibull. 2, 6, 22. Itaque probabile est, Ovidium hic quoque scripsisse, ut in MSS. quibusdam legitur: *externis accipienda forent.* v. Burm. ad h. l.

V. 64. *Quo commisso*] h. e. quo peccato? propter quod peccatum? Virg. Aen. 1, 136. *Post mihi non simili poena commissa luetis.* Hor. 3. Carm. 27, 37. *Ploro Turpe commissum.* Sic *committere* simpliciter dicitur pro peccare.

Mihi non licet esse piae] Elegantius hoc esse, quam si scripsisset per accusativum *non licet esse piam*, erudite et copiose docet Heins. ad h. l. Verum non omnia loca ad hanc normam refingenda videntur. Ter. Heaut. 2, 4, 8. *vobis expedit esse bonas.* Phorm. 5, 2, 1. *ut malos expediat esse*, quamvis Bentl., Heinsianam rationem secutus, utroque loco dativum reponat. Caesar B. C. 3, 1. *quo per leges ei consulem fieri liceret.* ubi omnes MSS. consentiunt in accusativo, *consulem*, teste Oudend. Ov. Ep. 20, 75. *flentem liceat consistere.* Inprimis accusativus tenendus videtur, si pronomen non praecedit, vel reticeatur. v. Duker. ad Flor. 3, 12. p. 546. et Intpp. ad Plin. Paneg. 44. et ad Liv. 42, 36.

V. 67. *Lacrymae sua verba*] h. e. lacrymis propria, tristia, luctuosa. Infra 90. *Cornuaque in patriis non sua vidit aquis.* Cic. de Fin. 3, 1.

Verbis in docendo quasi privatis utuntur ac suis. v. Bentl. ad Hor. 2. Carm. 20, 13.

V. 69. *Dum petis amplexus*] Recte dicitur *petere alicujus collum amplexu.* Nec tamen ab Heins. damnanda erat altera locutio *petere amplexus.* Met. 6, 605. *Oraque develat miserae pudibunda sorori, Amplexusque petit.* ubi idem Heins. tentat: *Amplexuque petit*, probante Burm., qui in textum recepit. Utrumque fugit locus Senec. Thyest. 522., qui vulgatam lectionem egregie confirmat: *a genubus manus Aufer, meosque potius amplexus pete*, ubi nullo modo scribere licet *amplexu.* Praeterea si *petis amplexu* h. l. legas, durum est, intelligere *me* vel *ora mea.* Sic *fugere amplexus* dixit Lucan. 3, 745. *jungere amplexus* Val. Flacc. 1, 163.

V. 72. *Expellere somnos*] i. q. excutere. Met. 8, 828. *Ut vero est expulsa quies.*

V. 73. *Belides*] Dicitur Lynceus, quia nepos erat Beli, qui Aegyptum et Danaum procrearat. v. Apollod. 2, 1, 4. Hinc Danai filiae dicuntur *Belides*, ut Art. Am. 1, 74.

Unus] Nominativus ponitur pro vocativo. Exempla dedimus in superioribus.

V. 74. *Nox tibi perennis erit*] i. e. hac nocte interficieris. Poetae centies mortem vocant vel simpliciter *noctem* vel *longam* et *aeternam noctem.* Ep. 10, 112. *At semel aeterna nocte premenda fui.* Met. 1, 716. *centumque oculos nox occupat una.* v. Heins. ad Met. 3, 503. et Drak. ad Sil. 10, 173.

V. 80. *Summae criminis unus abes*] i. e. dees collecto numero quinquaginta fratrum per scelus occisorum. *Summa* proprie dicitur de pluribus numeris in unum collectis, et a rationibus transfertur ad alia multa, inprimis ut significet id, quo tota res redit, quo tota continetur.

V. 81. *Cognatae martis*] i. e. mortis cognatorum. v. not. ad Ep. 1, 10.

V. 82. *Facere sanguinem*] Vulpius ad Catull. 5, 10. pessime explicat congerere, acervo addere. Nam *facere sanguinem* significat facere caedem. v. Intpp. ad h. l. Liv. 2, 30. *plusque ibi sanguinis, quam in ipsa dimicatione, factum.* ubi plura exempla habet Drak. *Sanguis* saepe pro caede dicitur. Just. 1, 7. *uxor mariti sanguine dotata.* v. Drak. ad Liv. 2, 64.

V. 83. *A patriis pedibus*] Quibus supplex acciderat, ut se excusaret propter neglectum patris mandatum.

V. 85. *Ex illo*] sc. tempore, ut mox *quo*, sc. tempore.

V. 88. *Modo formosam*] i. e. paulo ante.

V. 89. *Liquidi parentis*] i. e. Inachi fluvii. v. Hygin. Fab. 145.

V. 93. *Quid furis?*] Nempe Io in vaccam conversa exagitabatur ab oestro, sive insecto, e vesparum genere, quod Juno immiserat. v. Virg. Geo. 3, 352. Ov. Met. 1, 725. et Hygin. l. c.

In umbra] Quam, ut vacca, facis in flumine.

V. 95. *Illa Jovis magni pellex*] Constructio haec est: *illa pellex metuenda sorori Jovis magni*, sive Junoni. Vulgaris interpunctio male *pellex* jungit cum *Jovis.* Quod abhorret a Latinitate antiqua. Nam veteres nunquam dicebant *pellex mariti*, semper *pellex uxoris.* Cic. p. Cluent. 70. *Mater filiae pellex..* Ov. Met. 6, 606. *pellex sibi visa sororis.* v. Oudend. ad Suet. Caes. 49. et Heusing. ad h. l. Pronomen *illa* magnam h. l. vim habet, et Ius amplitudinem declarat. v. Intpp. ad h. l. et Drak. ad Sil. Ital. 3, 181.

V. 98. *Arma*] Vocat cornua, quibus boves se defendunt. Sic ungues *arma ursi* dicit Ov. Met. 10, 540. *dentes* suum *arma* Stat. Theb. 9, 589. Sic leones, quibus dentes et ungues velluntur, ne noceant, eleganter dicuntur *exarmari.* v. Scal. ad Manil. p. 322. et Intpp. ad Phaedr. 1, 31, 6.

V. 100. *Nuda humo*] i. e. non strata vestibus. Ov. Met. 4, 261. *Sedit humo nuda nudis incomta capillis.* Virg. Ecl. 1, 15. *silice in nuda*, i. e. non substratis herbis. v. Heins. ad h. l.

V. 101. *Cognata flumina*] Dicuntur, quod Io Inachi fluvii filia est, et omnes fluvii a communi patre Oceano oriuntur.

V. 107. *Per septem Nilus portus*] Nilus per septem ostia in mare exit. Unde a poetis vocatur *septemfluus, septemgeminus.* v. Met. 1, 422. Cete-

rum languidus hic versus est propter tot spondeorum concursum. Heins. igitur sic ab Ovidio scriptum putat: *Ostia per septem Nilus dimissus in aequor.* Sed non minus repit alius Ep. 5, 43. *Et flecti et nostros vidisti flentis ocellos.*

V. 108. *Exuit etc.*] Scribendum cum doctissimo Anglo in Addend. ad h. l. *Exuit insana pellicis ora bove.* i. e. figuram furentis bovis. Sic Met. 10, 105. *exuere hominem* pro exuere formam humanam. Minuc. Fel. 21. *Hercules, ut hominem exuat, Oetaeis ignibus concrematur.* Sic libri quidam ap. Apul. Met. 3, 221. *exuis asinum.* ubi v. Oudendorp. Adde Heusing. ad h. l. Io vero priorem formam recepit ad Nilum. v. Met. 1, 738.

V. 109. *Ultima quid referam?*] i. e. quid opus est recurrere ad antiqua fata domus meae? *Ultima* sunt remotissima, antiquissima, prima. Catull. 4, 15. *ultima ex origine.* ubi v. Muret. Auct. ad Herenn. 1, 9. *et si non ab ultimo repetere volemus.* v. Intpp. ad Nep. Att. 1.

Quorum mihi cana senectus Auctor] i. e. quae senes mihi narrarunt. *Senectus* pro senibus, ut *juventus* pro juvenibus. *Auctor* est, qui rem narrat. Liv. 29, 32. *vanus auctor absumti Masinissae.* Just. 11, 11. *producto in concionem auctore, qui in eo proelio se quoque vulneratum diceret.* v. Intpp. ad Liv. 5, 1. Hinc auctor etiam dicitur pro scriptore; quod negabat Manut. in Cic. ad Div. 1, 1. sed idoneis exemplis hanc significationem vindicavit Drak. ad Liv. 8, 30.

V. 110. *Anni mei*] i. e. tempus, quo vivo. Fast. 2, 537. *Talibus ut nostros dictis descendit in annos.*

V. 112. *Ultimus orbis*] Est pars orbis remotissima. Intelligit Hypermnestra Argos in Graecia, in quam urbem Danaus ex Aegypto pulsus concessit, et ibi imperium tenuit. v. Intpp. ad h. l.

V. 117. *Fratres*] sc. patrueles, ut supra docuimus, vel scribendum: *Nam tibi quot fratres, mihi tot periere sorores.*

V. 520. *Quid fiet sonti?*] Eadem constructione Art. Am. 1, 536. *Quid mihi fiet?* Alibi dicitur *quid de me fiet*, vel *quid me fiet?* Ter. Adelph. 5, 9, 39. *Quid de fratre fiet?* Liv. 45, 39. *Quid tam opima praeda fiet?* ubi v. Drak.

Cum rea laudis agar] i. e. cum accuser ob id, quod mihi laudi duci debebat. Ep. 16, 324. *Ipse reus sine te criminis hujus agar.* ubi v. Heins. Liv. 4, 42. *Vos autem, si reum perago, quid acturi estis?* 45, 37. *apud concionem prius reus agatur.* ubi v. Drak.

V. 122. *Manente*] h. e. superstite.

V. 124. *Munera*] i. e. vitam, quam tibi conservavi.

V. 126. *Furtivis rogis*] h. e. furtim sive clam exstructis, si sana est lectio. Codex vetus habet *finitimis rogis*, quod ad veram scripturam ducere potest.

Insuper adde rogis] h. e. superinjice rogis. Male Burm. laudat Trist. 2, 529. *Insuper accedunt.* ubi *insuper* est praeterea, non super vel desuper. Met. 14, 263. *Insuper aurato circumvelatur amictu.*

V. 128. *Scripta*] h. e. insculpta, inscripta. *Scribere* tum de pictura, tum de sculptura dicitur. Tibull. 1, 3, 54. *Fac lapis his scriptus stet super ossa notis.* Curt. 10, 1. *columnam literis ejus gentis inscriptam.* v. Intpp. ad h. l. et Drak. ad Liv. 4, 20.

V. 129. *Iniquum*] h. e. injustum. Sic *aequus* ponitur pro justo, ut supra docuimus.

V. 130. *Fratri depulit*] h. e. a fratre. Cum dativo *depellere* etiam est ap. Cic. p. red. in Sen. 8. *Me tum bonis, spem audacibus, servitutem depulit civitati.* et Virg. Aen. 9, 78. *ratibus quis depulit ignes?* v. Oudend. ad Apul. Met. 3. p. 217.

Epist. XV.

V. 1. *Studiosae*] Non est eruditae, ut vulgo explicant, sed cupidae tui, tibi faventis. Pari errore hoc verbum interpretantur Trist. 1, 2, 77. *Nec peto, quas petii, quondam studiosus, Athenas.* ubi *studiosus* est cupidus Athenas videndi v. Burm. ad h. l.

V. 4. *Unde*] Eleganter ad personas et res transfertur, et significat a quo sive a qua. Cic. de Or. 1, 15. *de ea re multo dicet ornatius, quam ille ipse, unde cognovit.*. Virg. Aen. 8, 71. *genus omnibus unde est.* ubi v. Serv. Sic frequens ap. Jurisconsultos formula est *unde petitur*, pro a quo petitur. Hanc elegantiam explicant praeclare Gron. Obss. 4, 2. et Bentl. ad Hor. 1. Carm. 12, 19. Similiter *hinc* ponitur pro ab hoc. Ter. Ad. 3, 3, 7. *hinc jam scibo*, quid sit. Sil. Ital. 1, 283. *Hinc spolia ostentabat ovans.* ubi v. Drak. Utriusque adverbii usus hodie rarus et prope obliteratus.

Opus] Accipitur pro quacumque re, quae post operam exstat. Itaque interdum libri *opera* dicuntur. Cic. ad Div. 16, 18. *Fac opus adpareat.* ubi v. Manut. Livius etiam saepe historiam a se conscriptam *opus* vocat, ut in praef. *ut orsis tanti operis prosperos successus darent.* Ceterum in antiquis libris exquisitius legitur: *unde movetur opus?* quod praeclare defendit Heusing. ad h. l.

V. 5. *Alterna carmina*] Dicuntur elegiaca, quod alternis vicibus hexametris subjunguntur pentametra. Alibi Ovid. elegiae tribuit *pedes inaequales, impares, claudos.* Trist. 2, 220. 3, 1, 11. Stat. Sylv. 1, 2, 7. et ibi Markl.

V. 6. *Lyricis modis*] h. e. modulationibus lyrae. Amor. 1, 1, 28. *Cum vestris, bella, valete modis.* v. Broukh. ad Tibull. 1, 8, 38.

V. 7. *Elegeïa flebile carmen*] Alludit ad originem vocis *elegiae*. Nam Grammatici Graeci dicunt vocabulum ortum ab *ἒ ἒ λέγειν*, quae vox est plorantium. v. Voss. in Etym. Analogia docet, eandem originem habere, quam *ἔλεος*, commiseratio. Et satis constat, initio hoc carmen ad commiserationem movendam adhibitum esse.

V. 8. *Barbitos*] Genus citharae vel lyrae, quo utebantur lyrici poetae. Hor. 1. Carm. 32, 8.

V. 9. *Ignem exercentibus Euris*] *Exercere* exquisite dicitur pro agitare, huc illuc agere. Met. 8, 166. de Maeandro *Incertas exercet aquas.* Seren. Sammonicus de Medic. 268. *Decocta haec clauso simul exercentur in ore* h. e. volvuntur. Hinc *exercere* perinde ac *subagitare* ad rem veneream transfertur. Catull. 70, 3. *Aemulus iste tuus, qui vestrum exercet amorem.* Imitatur Hor. 4. Carm. 14, 20. *Indomitus prope qualis undas Exercet Auster.* ubi v. Bentl.

V. 11. *Celebrat*] h. e. frequentat, ut infra v. 57. Hinc *locus celeber* opponitur deserto, et *celebratio* est confluxus hominum in locum aliquem. v. Cic. p. Sull. 26. de Orat. 1, 45. et Ernest. clav. Cic.

Typhois Aetna dicitur, quod Jupiter fingitur giganti Typhoeo, fulmine percusso, Aetnam montem superimposuisse. v. Met. 5, 320. et Drak. ad Sil. Ital. 8. 542.

V. 12. *Coquit*] h. e. affligit, macerat. Virg. Aen. 7, 345. *Femineae ardentem curaeque iraeque coquebant.* Hoc verbum Heins. ad h. l. et Rem. Am. 83. egregie illustrat.

V. 14. *Provenire*, nasci, oriri a re rustica ad ingenium et ejus opera transfertur. Trist. 1, 1, 39. *Carmina proveniunt animo deducta sereno.* Sall. Cat. 8. *quia provenere scriptorum magna ingenia.* ubi v. Cort.

V. 15. *Pyrrhiades Methymniadesque*] Sunt puellae urbium Pyrrhae et Methymnae, de quibus v. Steph. Byz.

V. 17. *Anactorie, Cydno, Atthis* sunt puellae, quas Sappho in amoribus habuit. v. Max. Tyr. Diss. 24. p. 297. et Heins. ad h. l.

V. 21. *Lusibus*] h. e. amori venereo. Petron. 26. *Lusum puerilem libidinosa speculabatur diligentia.* Saepe sic *ludere et lusus* dicitur ab Ovidio et aliis poetis.

V. 23. *Sumere* est adsumere, adsciscere. Prop. 4, 2, 33. *arundine sumta Faunus plumoso sum Deus aucupio.* v. Heins. ad Met. 4, 561. *Fides* est cithara, ut Ep. 5, 135. ubi Apollo *fide conspicuus* dicitur. De Bacchi cornibus supra diximus.

V. 25. *Gnosida*] h. e. Ariadnen.

V. 26. *Illa vel illa*] Eleganter pro *haec vel illa.* v. nott. ad Ep. 2, 118

V. 27. *Dictant*] h. e. docent, discenda praebent. *Dictare* proprium

verbum est magistrorum. Prop. 4, 1, 133. *Tum tibi pauca suo de carmine dictat Apollo.* ubi v. Passer. Mart. 8, 72. *Lesbia dictavit, docte Catulle, tibi.*

V. 29. *Consors patriaeque lyraeque*] *Consors patriae*, ut ex eadem Lesbo insula oriundus, *consors lyrae*, ut poeta lyricus.

V. 31. *Difficilis natura*] h. e. maligna, parca. Virg. Geo. 2, 179. *Difficiles primum terrae collesque maligni.* ubi v. Serv. et Cl. Heyn.

V. 32. *Rependo*] h. e. compenso. Virg. Aen. 1, 239. *Fatis contraria fata rependens.* ubi v. Serv. Colum. de R. R. 3, 2. *id incommodum repensat uvarum multitudine.*

V. 33. *Sum brevis*] Brevem et fuscam Sapphonem fuisse, tradit etiam Max. Tyr. Diss. 24. p. 293. ubi v. Davis.

V. 34. *Mensuram nominis ipsa fero*] h. e. magnum nomen gero, quod satis compensat corporis brevitatem.

V. 35. *Cepheia Andromeda*] Cephei filia, Aethiops, amata est a Perseo. v. Met. 4, 668. et Hygin. Fab. 64.

V. 36. *Patriae fusca colore suae*] Vulgata lectio explicari potest, si *patriam* accipias pro popularibus. Sed praestat, cum Francio legere *patriae fusca calore suae.* Ceterum Ovidius hoc distichon expressit e venustissimo Philodemi epigrammate Anthol. Gr. 7. p. 610.

V. 37. *Variis columbis*] h. e. versicoloribus.

V. 38. *A viridi ave*] h. e. psittaco. v. Amor. 2, 6, 21. et Intpp. ad h. l.

V. 41. *Me cum legeres*] h. e. carmina mea. Trist. 2, 379. de Menandro: *Et solet hic pueris virginibusque legi.* v. Intpp. ad h. l.

V. 46. *Cum fit amoris opus*] h. e. concubitus. Hor. Epod. 12, 5. *Mihi semper ad unum Mollis opus.* Locutio ducta est ab opere rustico, unde multae formulae ad rem veneream translatae sunt. v. Intpp. ad Petron. 81.

V. 48. *Joco*] h. e lusui venereo. Art. Am. 2, 724. *Et dulces gemitus aptaque verba joco.* v. Burm. ad h. l.

V. 53. *Erro*] Est fugitivus, vel qui frequenter sine causa vagatur et serius domum redit. v. Hor. 2. Serm 7, 113. et Heins. ad h. l. In Jure civili saepe servi fugitivi *errones* dicuntur. v. Briss. de V. S. h. v.

V. 54. *Nisiades*] Legendum videtur *Nesiades*, h. e. insulares, a Graeco νησιάς. Nam Sicilia per eminentiam dicta est νῆσος vel *Insula.* Micylli *Nisiades* legentis ratio nimis alte repetita. v. Dorvill. ad Charit. p. 541. et in Sicul. p. 270.

V. 57. *Montes celebras*] i. e. frequens et assidua es in montibus. Suet. Calig. 45. *quod amoenos secessus celebrarent.*

Erycina] Dicitur Venus ab Eryce monte, celeberrimo ejus religione. Ejus frequens mentio in Cic. orr. Verrinis. v. Ernest. in Cic. Ind. Geogr. v. Eryx.

V. 62. *Lacrymas ossa bibere meas*] Poetice dicitur pro patris mortui ossa lacrymis meis adspersa sunt. Met. 6, 396. *Madefactaque terra caducas Concepit lacrymas, ac venis perbibit imis.*

V. 63. *Arsit etc.*] Charaxus, Sapphonis frater, lapsus in amorem Rhodopidis, famosae meretricis, magna pecunia eam redemit. Haec luxuriosa vita sic ejus rationes conturbavit, ut ad summam inopiam redigeretur. Rem accurate narrat Herodot. 2, 135. Cum igitur Charaxus, Rhodopidem amare incipiens, eamque redimens, non fuerit inops, sed postea demum factus sit, satis adparet, h. l. legendum esse vel *Arsit egens*, ut Bronkh., vel *Arsit iners*, ut Oud. conjecit.

V. 65. *Peragit freta*] h. e. vagatur per mare, peragrat mare et lustrat. Sic *orbem peragere* dixit Val. Flacc. 1, 566. ubi v. Burm. Licet autem colligere e verbis *male quaerit opes*, Charaxum piraticam exercuisse.

V. 67. *Bene multa*] h. e. valde multa, plurima. Trist. 1, 7, 15. *sicut bene multa meorum.* ubi v. Heins.

V. 72. *Non agitur vento*] Poetice dicit pro vita mea infelix est. *Suus ventus* exquisite ponitur pro sibi commodus, sibi favens, ut supra docuimus.

V. 73. *Nullum est in crinibus aurum*] Heinsius, cui haec capillorum ter repetita descriptio nimis operosa videtur, legere mallit: *nullum est in*

cruribus aurum. ut *genualia*, ut Ovid. vocat Met. 10, 593. vel *periscelide* intelligantur. v. Burm. ad Ep. 21, 89.

V. 76. *Arabo rore capillus olet*] *Ros* ap. poetas est quilibet liquor, inprimis unguentum. Tibull. 3, 4, 28. *Stillabat Syrio myrrhea rore coma.* Forma *Arabus* saepe occurrit pro *Arabs.* v. Serv. ad Virg. Aen. 7, 605. ut *Erycus mons* pro *Eryx* ap. Tac. Ann. 4, 43. ubi v. Ernest. *Olere* interdum cum ablativo construitur. Prop. 4, 7, 32. *Cur nardo flammae non oluere meae.* Et sic *spirare*, *fragrare* et similia cum abl. junguntur. v. Heins. adnotationem exquisita eruditione refertam.

V. 79. *Violabile*] *Violare* saepe pro vulnerare ponitur. Val. Max. 5, 6, 1. *ne quis Codri corpus violaret.* Sil. Ital. 16, 16. *velut inviolabile telis Servabant sacrumque caput.* v. Drak. ad Liv. 3, 69. Similiter *laedere* dicitur pro vulnerare. Met. 3, 87. *Laesaque colla dabat retro.*

V. 83. *Artesque magistrae*] Vulgata lectio non habet idoneum sensum. Itaque amplectenda Burmanni emendatio, *artisque magistra Ingenium nobis molle Thalia facit.* h. e. Thalia, quae me mollem poesin docuit, mihi etiam dat ingenium molle. Thaliam magistram suam Sappho vocat, quod lyricis carminibus praeerat. Fast. 5, 54. *Et curvae scita Thalia lyrae.*

V. 85. *Primae lanuginis aetas*] Est descriptio nec adhuc juvenis, nec jam pueri, ut v. 93. ait. *Dubia lanugo* hoc sensu dicitur. Met. 9, 398.

V. 87. *Cephalus*] Aurora, fastidito Tithono, marito sene, rapuit juvenem longe formosissimum Cephalum. v. Metam. 7, 661.

V. 88. *Prima rapina*] Vocatur ipse Cephalus. *Tenere* simpliciter ponitur pro amore irretitum tenere. Rem. Am. 457. *Et Parin Oenone summos tenuisset ad annos.*

V. 90. *Somnos continuare*] Phoebe vel Luna Endymionem in Latmo monte perpetuo consopivit, ut eum dormientem osculari posset. v. Cic. Tusc. 1, 38. et quos laudat ibi Davis.

V. 93. *Utilis aetas*] Quae v. 23. dicitur *lusibus apta.*

V. 97. *Lacrymis oculi rorantur obortis*] h. e. rigantur, madefiunt. Ep. 19, 124. *Mersaque roratis nata fleatur aquis.* Aliis etiam locis *rorare* activam et passivam significationem habet, sed multo frequentius neutraliter dicitur pro roris instar destillare. Lucr. 2, 976. *Et lacrymis spargunt rorantibus ora genasque.* v. Sanct. Min. 3, 13. p. 378. et ibi Perizon.

V. 101. *Oscula summa*] i. e. ultima, ut Trist. 1, 3, 57. *Et quasi discedens oscula summa dedi.* v. Heins. ad h. l.

V. 102. *Non timui, quod etc.*] Hoc argute dictum explicat Bentl. ad Lucan. 2, 27.

V. 104. *Admoneat etc.*] h. e. quod tibi amorem in memoriam revocet. De hac proprietate verbi *admonere* diximus ad Ep. 3, 135.

V. 111. *Deerat lingua palato*] h. e. lingua torpebat, deficiebat. Trist. 3, 3, 21. *Si jam deficiat suppresso lingua palato.*

V. 112. *Adstrictum*] Frequens est *stringere* et *adstringere* de frigore, quod terram quasi claudit, nec quidquam inde exire patitur. Met. 1, 120. *ventis glacies adstricta pependit.* Liv. 22, 51. *quos stricta matutino frigore excitaverant vulnera.* ubi v. Duk.

V. 113. *Postquam se dolor invenit*] *Invenire se* dolor dicitur in illis, qui, gravi nuntio perculsi, aliquamdiu delinquente animo torpuerunt, deinde ad se redeunt et intelligere incipiunt, quid doleant. Senec. de Benef. 5, 12. *Minus se inveniunt, quo in majorem materiam inciderunt.* Petron. c. 47. *Nec medici se inveniunt.* ubi v. Intpp. Hoc exquisitum loquendi genus primus explicuit magnus ille Gron. Obss. 2, 21.

V. 114. *Exululare*] h. e. flere, ejulare. Sil. Ital. 12, 599. *Sparsaeque solutis Crinibus exululant matres.* ubi v. Drak.

V. 117. *E nostro crescit moerore*] h. e. voluptatem capit ex moerore nostro, exsultat gaudio. Sic *pasci* dixit Ov. Met. 6, 280. *Pascere, crudelis, nostro, Latona, dolore.*

Gliscere] Stat. Theb. 8, 754. *gliscitque tepentis Lumina torva videns.* v. Intpp. ad h. l.

V. 118. *Itque reditque*] *Ire* et *redire* vel sine copula *ire redire* solem-

nis est formula de crebra ejusdem loci frequentatione. Tibull. 2, 7, 28. *tabellas Occulto portans itque reditque sinu.* Val. Flacc. 1, 725. *Itque reditque fremens.* Fast. 1, 126. *It redit officio Jupiter ipse meo.* ubi v. Heins.

V. 120. *Quid dolet haec*] Alibi Ovid. *dolere* cum ablativo jungit, ut Fast. 6, 43. *rapto Ganymede dolebam.* Cicero fere semper cum accus. jungit. v. Drak. ad Liv. 5, 40.

V. 123. *Te somnia nostra reducunt*] h. e. in somnis mihi videris revertisse.

V. 124. *Candidiora*] h. e. pulcriora, atque adeo laetiora. Utramque significationem hoc vocabulum habet. Trist. 3, 4, 34. *Et fato candidiore frui.*

V. 125. *Quamquam absis*] Similiter locutus est Ov. Met. 12, 41.

V. 130. *Vigilant sensibus ora meis*] h. e. talem actionum sensum habeo, quasi vigilarem.

V. 131. *Oscula committere*] i. q. *oscula jungere*, quod supra explicuimus.

V. 134. *Et sine te non licet esse mihi*] Haec frigide dicuntur. Veram et venustam lectionem conservavit Cod. Francof. *Et siccae non licet esse mihi*, cujus sensum optime explicat Burm.

V. 138. *Conscia deliciis illa fuere tuis*] Saepe res inanimatae, praesertim loca, *conscia* dicuntur eorum, quae in illis fiunt. Ep. 18, 103. *Et turris conscia novit.* Lucan. 8, 40. *Conscia curarum secreta in littora Lesbi.* ubi v. Oudend. Avien. Descr. Orb. 301. *At qua surgenti terrae pars conscia Phoebo est.* *Conscius* vero non solum cum genitivo, sed etiam cum dativo struitur. Met. 6, 588. *Nox conscia sacris.* ubi v. Heins. Tibull. 1, 10, 41. *Verbis ne quisquam conscius esset.* v. Intpp. ad Lucan. 1, 20.

V. 139. *Furialis Erichtho*] Erichtho ab Intpp. inepte accipitur pro quavis maga. Nam non magae, sed Erinnyes, in furorem impellunt. Itaque e MSS. legendum: *Furialis Erinnys*, vel *furialis Enyo*; nisi quid lateat de Baccho aut Cybele. v. Oud.

V. 140. *Impellere*] Proprium verbum est in furore vel alia affectione, qua praecipites homines aguntur. Val. Flacc. 4, 32. *Postquam Furiis et voce nefanda Impulit Oenides.* v. Intpp. ad. h. l. Sed exquisitior est veteris cod. lectio: *attigit*, ut Ep. 4, 50. *Numine contactos attonuere suo.* ubi v. notata.

Ferri dicuntur, qui furunt vel prae nimia animi commotione nesciunt, quid agant. Cic. p. Cluent. 70. *caecam crudelitate et saevitia ferri videtis.* Hor. 1. Serm. 4, 30. *Quin per mala praeceps Fertur.* v. Burm. ad h. l. et Ernest. Clav. Cic. v. Ferre.

V. 140. *Tophus*] Genus lapidis asperi et arenaceis calculis obsiti, ex quo *scaber* ab Ovidio dicitur.

V. 146. *Dos erat illa loci*] *Dos* est decus, ornamentum, quod locum commendat. Phaedr. Prol. 3. *Duplex libelli dos est.* ubi v. Gud.

V. 151. *Positis frondibus*] i. e. depositis. Sic *ponere arma* dicitur pro deponere, ut supra vidimus. Sic Ep. 19, 31. *ponere vestes* pro exuere.

V. 152. *Queruntur*] i. e. cantant. v. notata ad Ep. 10, 8.

V. 153. *Sola virûm* etc.] Respicit notissimam fabulam de Tereo, Procne et Philomela, quam omnium elegantissime enarravit Ov. Met. 6, 412. seqq. Conf. etiam his similia Amor. 2, 14, 30.

Ulcisci] Est punire. Ter. Andr. 3, 5, 16. *Namque hoc tempus, praecavere mihi me, haud te ulcisci sinit.* Liv. 5, 11. *si occasione ulciscendi laesos arment.* ubi v. Drakenb.

V. 154. *Ismarium Ityn*] i. e. Thracium Ityn, qui fuit filius Terei, Thraciae regis.

Daulias ales] Est Procne, quae Daulide, Phocidis urbe, in hirundinem mutata fingitur. Albinov. ad Liv. 106. *Deflet Threicium Daulias ales Ityn.*

V. 156. *Hactenus*] h. l. significat in tantum. Cic. de Div. 1, 8. *Qui hactenus aliquid egit, ut earum rationem rerum explicaret.*

Ut] Sumendum pro tanquam, quasi.

V. 157. *Amni*] Pro amne. De hac ablativi forma in aliis etiam nominibus frequenti v. Drakenb. ad Sil. Ital. 7, 368. Vitro saepe comparantur pellucidi amnes. Colum. 10, 136. *vitreoque Siler qui defluit amni.*

V. 160. *Una nemus*] i. e. una tam grandis, ut sit instar nemoris. Similiter locutus est Met. 8, 743. *Stabat in his ingens annoso robore quercus, Una nemus.* v. Drakenb. ad Sil. It. 5, 482. et Intpp ad h. l.

V. 162. *Naias una*] Vox *unus* aliquando redundat, vel idem significat, quod aliquis, quidam. Ter. Andr. 1, 1, 39. *adspicio adolescentulam unam.* Caes. B. G. 5, 45. *Erat unus intus Nervius.* ubi v. Intpp. Liv. 7, 34. *Conspicit unum editum in saltu collem.* ubi v. Drak. Nec tamen spernenda Heinsii conjectura: *Naïas uda*, i. e. lubrica, quam probat Markl. ad Stat. Sylv. 2, 2, 105. *Naïas* sive *Naïs* proprie est fontium nympha. v. Serv. ad Virg. Ecl. 10, 10.

V. 163. *Quoniam non ignibus aequis Ureris*] h. e. quoniam tibi cum Phaone non aequalis et mutuus amor est. Apposite Ter. Eun. 1, 2, 12. *utinam esset mihi pars aequa amoris tecum.* Virg. Aen. 4, 520. *si quod non aequo foedere amantes Curae numen habet.* Ov. Ep. 19, 5. *Urimur igne pari.* Met. 9, 719. *Hinc amor amborum tetigit rude pectus, et aequum Vulnus uterque tulit.* v. Burm. ad Lucan. 5, 727.

V. 164. *Ambracus*] Urbs Epiri, e cujus nomine tota Epirus *Ambracias terra* vocatur. Ambracias graeca forma pro Ambracia, ut Phasias, Isthmias, Nasamonias etc. v. Heins. ad h. l.

V. 165. *Phoebus*] Ponitur pro templo Phoebi, quod erat in Actio, oppido et promontorio Acarnaniae, prope sinum Ambracium. v. Steph. Byz. v. *Ἄκτιον* et ibi Intpp.

V. 166. *Leucas* sive alia forma *Leucate*, promontorium ejusdem loci, unde *Leucadius Apollo* i. q. *Actius.* Ab hoc promontorio, ut in fabulis est, invenusti et desperati amantes in mare desiliebant, atque ita hoc morbo liberabantur. Sapphonem prae amoris impatientia inde se in mare praecipitem dedisse, Menandri testimonio tradit Strabo 10. p. 694. Plura de hoc amantum saltu v. apud Intpp.

V. 169. *Lentissima pectora*] i. e. frigida, tarda ad amorem. v. Heins. ad h. l. et quae diximus ad Ep. 1, 1.

V. 171. *Hanc legem locus ille tenet*] i. e. haec est perpetua lex illius loci. In verbo *tenere* est quaedam constantiae vel pertinaciae significatio.

V. 173. *Cum voce abiit*] h. e. simul atque dicendi finem fecisset, evanuit. Eodem modo *cum voce aliquid facere* dicitur, qui faciens aliquid simul loquitur. Virg. Aen. 10, 667. *Et duplices cum voce manus ad sidera tendit.* Sil. Ital. 10, 431. *quatiens strictum cum voce mucronem.* ubi v. Drak. Nec dispari ratione Rutil. Lup. 1. p. 71. *initium sermonis cum jurgio sumsit.*

V. 174. *Gravidae genae*] Sunt oculi pleni lacrymarum. Poetae, quicquid tumidum est et aliqua re plenum, *gravidum* vocant. Sic ap. Virg. *gravidum uber*, *gravidae fruges*, *gravida seges.* v. Heyn. ad Georg. 1, 319.

V. 177. *Aura subito*] Implorat Auram, ut ab ea vestem sinuante molliter devehatur. Comparandus similis locus Apul. Met. 4. fin.

V. 182. *Unus et alter*] Significat duos, ut h. l.; sed saepe indefinite ponitur pro pluribus. Fast. 3, 399. *ex illis unus et alter ait.* Cic. ad Att. 14, 18. *adductus sum tuis unis et alteris literis.* v. Burm. ad Petron. 108.

V. 191. *Pectora* vel *corpora jungere* frequens apud poetas de mutuo amplexu. Val. Flacc. 3, 309. *fas jungere tecum Pectora.* Sil Ital. 9, 149. *Da, nate, manum, da jungere pectus.* v. Heins. ad Rem. Amor. 407.

V. 197. *Non mihi respondent etc.*] i. e. non aptae sunt vires ad carmina, non satis faciunt in versibus scribendis. Burm. videtur praeferre duorum MSS. lectionem: *in carmine.* Frustra. Nam praepositio *in* cum acc. finem significat. Am. 1, 13, 46. *Commisit noctes in sua vota duas.* Vell. Pat. 2, 41. *in hoc scilicet ne suspectus his foret.* Senec. de Benef. 4, 1. *qui honesta in mercedem colant.* v. Duk. ad Flor. 2, 6. p. 268.

V. 199. *Aequoreae*] i. e. mari cinctae, insulanae.

V. 208. *Riget*] i. e. durus, inexorabilis est, precibus flecti nequit. Sic *rigida mens* Ep. 3, 96.

Verba caduca] i. e frustra cadentia, levia, evanida. Fast. 181. *nec lingua caducas Concipit ulla preces.*

V. 211. *Sive redis etc.*] Sensus, quem Burm. negat se videre, hic est: Sive apud animum tuum constituisti redire, et jam paras munera, quae diis pro felici reditu suspendas, redi sine mora. Sic si locus capiatur, ne parenthesi quidem opus est, nedum emendatione.

V. 213. *Mare praestat amanti*] Male vulgatam lectionem defendit Burm. Nam poeta sine dubio scripsit: *mare sternet amanti*, ut Ep. 9, 16. *Sternet et aequoreas aequore nata vias.* Et hanc scripturam merito praefert Valkenar. ad Herod. 7. p. 595.

V. 216. *Dare vela*] Significat expandere vela vento prospero, cui opponitur *legere vela*, i. e. adverso vento, vel, si in portum appuleris, vela contrahere et subducere. Virg. Geo. 1, 373. *omnis navita ponto Humida vela legunt.* Ita etiam dicunt *legere funem*, *legere rudentes.* v. Lucan. 3, 44. et Intpp. ad h. l.

V. 220. *Ut mihi Leucadiae etc.*] Relinquitur intelligendum: Sic me non amplius amor et inanis spes reditus tui torquebit.

Epist. XVI.

V. 4. *Exstat amor*] i. e. eminet, in oculos et sensus incurrit. Cic. de Orat. 3, 26. *Quo magis id, quod erit illuminatum, exstare atque eminere videatur.*

V. 7. *Male*] i. e. aegre, vix; ut supra explicuimus.

V. 10. *Nuntia verba*] Adjective sumendum *nuntia*, ut Ep. 6, 9. *nuntia litera*, et multis aliis poetarum locis, quos laudat Heins. ad Art. Am. 1, 438 *Nuntium* substantive neutro genere vel barbarum est, vel certe non idoneae auctoritatis. v. Drak. ad Liv. 4, 41. et Gesn. in Thes. L. L. Apud bonos scriptores *nuntius* dicitur tum de eo, qui narrat, tum de re, quae narratur.

V. 12. *Vultu duro*] i. e. severo, rigido. Ep. 17, 16. *Nec sedeo duris torva superciliis.* Lucan. 2, 373. *duroque admisit gaudia vultu.*

V. 13. *Gratum est*] Hac formula utuntur, qui in metu vel in commodo gaudent. Sil. Ital. 6, 584. *Gratum est, o Superi!* v. Gron. Diatr. Stat. c. 16. unde habet Broukh. ad Tibull. 4, 9.

Epistola recepta] Epistola *accipi*, non *recipi* dicitur. Sed poeta ludit in ambigua potestate verbi *recipere*, quod etiam amantes in puellae torum *recipi* dicuntur. v. Intpp. ad h. l.

V. 15. *Quae rata sint*] i. e. quae Dii firment. Trist. 1, 1, 33. *Quaeque volet, rata sint.*

V. 18. *Coeptum* substantive dicitur, sicut *inceptum* pro audaci consilio, quod quis cepit. Suet. Oth. 5. *Hoc subsidium tanti coepti fuit.* Frequentior hoc sensu est pluralis *coepta.*

V. 21. *Dubias feci vias*] *Dubia via* est periculosa, ut supra explicuimus. *Viam facere* significat, per obstantia quasi perrumpere. Trist. 1, 2, 86. *Exilem facio per mea vota viam.* ubi v. Burm. Liv. 22, 50. *ferro atque audacia via fit.* ubi plura exempla collegit Drakenb.

V. 22. *Phereclea puppi*] h. e. navi, quam Phereclus construxerat. Hunc enim Hom. Il. E. 59. tradit Paridi fabricasse navem, qua Lacedaemonem profectus est.

V. 23. *Faciles aurae*] Nihil differunt a *ventis secundis.* Itaque mera in his verbis ταυτολογία est, indigna vel Ovidio, vel alio poeta, quisquis sit hujus epistolae auctor. Vix dubitandum est, quin poeta scripserit: *Illa dedit faciles undas ventosque secundos*, ut Cl. Oudend. conjecit. Centies junguntur *unda* et *ventus.* Ep. 7, 44. *Justior est animo ventus et unda tuo.* Trist. 3, 2, 15. *Dum tamen et ventis dubius jactabor et undis.* Saepissime vero in MSS. confunduntur *unda* et *aura.* v. Intpp. ad Ep. 2. 35.

V. 26. *Deferat in portus mea vota*] i. e. annuat votis, efficiat, ut vota succedant.

V. 27. *Attulimus flammas*] i. e. dudum amore tui captus fui, non nunc demum amare coepi.

V. 34. *Divitiora*] Comparativus *divitior* et superlativus *divitissimus* optimis scriptoribus usitatus. v. Cic. de Orat. 3, 48. et Nep. Alcib. 2.

V. 35. *Lecto pepigit*] i. e. in matrimonium promisit sub conditione, ut illi in formae judicio primas darem. Ep. 20, 157. *Haec mihi, se pepigit* De constructione verbi cum dativo v. Bentl. ad Hor. 2. Ep. 2, 87.

V. 39. *Nec tamen est mirum*] Distichon ineptum et vix latinum, quod miror Heinsium, cujus in spuriis odorandis mira est sagacitas, emendare, quam ejicere, maluisse.

V. 41. *Sic placuit fatis*] Frequens apud veteres formula, qua, quod excusare vel non poterant, vel nolebant, fati necessitati adscribebant. v. Phaedr. 4, 7, 13. et ibi Burm.

V. 42. *Vera fide* vel *cum vera fide* ex formula dicitur, ut ap. Liv. 40, 34. *sincera fide.* Petron. 101. *se mente simplicissima et vera fide in navigium comites induxisse.* Vis exemplorum est ap. Heins. ad v. 60. ubi pro *vera fides veri fides* dicitur.

V. 44. *Justo pondere*] i. e. legitimo, pleno, quod omnia requisita habet. Hanc significationem supra illustravimus.

V. 45. *Illa sibi ingentem*] Hecuba per quietem sibi visa est edere facem, cujus ignibus Ida et omnis civitas conflagraret. Metu perculsus Priamus rem refert ad conjectores, qui responderunt, puerum, qui primus in lucem editus fuisset, exitium et pestem Trojae futurum. v. Virg. Aen. 10, 704. et Dict. Cret. 3, 26.

V. 51. *Forma vigorque animi*] Sic *forma* et *vigor* animi etiam junguntur a Vell. Pat. 2, 41. *forma omnium civium excellentissimus, vigore animi acerrimus.* v. Drak. ad Liv. 7, 5. Caeterum Scaliger hic deesse putat versus, quibus Paridis inter pastores educatio describeretur. Hujus sententiam sequitur Heusing. ad h. l.

V. 56. *Patulum os*] Bovi etiam tribuit Ov. Met. 15, 513.

V. 57. *Dardaniae muros*] i. e. Trojae. Frustra Burm. scribit *Dardanios muros.* Virg. Aen. 2, 324 *Venit summa dies et ineluctabile tempus Dardaniae.* ubi v. Serv. Ov. Trist. 1, 10, 25. *Dardaniamque petit, auctoris nomen habentem.*

V. 62. *Atlantis etc.*] Mercurius Jovis et Majae filius erat, Maja filia Atlantis et Pleïones. v. Met. 1, 669. sqq.

V. 63. *Fas vidisse fuit*] Vetus superstitio erat, eum, qui Deos invitos vidisset, coecitate vel alio calamitatis genere adfici. v. Callim. H. in L. Pall. 34. et ibi Spanh. Quam ob rem in numinis occursu precari solebant, ut fas sit vidisse. v. Sen. Ep. 115. et ibi Lips.

V. 67. *Gelidus comas erexerat horror*] Heinsio ad Claud. Eid. 7, 11. rectius videtur: *gelidus comas arrexerat horror,* ut Virg. Aen. 4, 280. *Arrectaeque horrore comae.* Sed *erigere* etiam bene dicitur in hac forma. Sen. Herc. Oet. 706. *erectus horret crinis.* v. Drak. ad Sil. Ital. 2, 668.

V. 68. *Nuntius ales*] i. e. Mercurius, quia alas habebat ad pedes, unde etiam *alipes* dicitur. Met. 11, 312.

V. 71. *Neve*] h. l. metri causa ponitur pro *neque*, contra morem Ovidii et aliorum aureae aetatis poetarum. Ex his aliisque satis apparet, hanc epistolam non esse ab Ovidio profectam.

V. 75. *Verebar*] Heins., fortasse non concoquens *vereor* cum infin. constructum, legit *querebar.* Sed *querendi* notio ab h. l. aliena. Nec desunt exempla, ubi *vereri* cum infin. construatur. Virg. Cir. 360. *Namque ipso verita est orbari moesta parente.* Curt. 9, 7. *celebratam Macedonum fortitudinem ad ludibrium recidisse verebatur.* In quibus exemplis infinit. pro acc. capi potest, ut millies in aliis. v. Davis. ad Cic. de Legg. 2, 22. et Wopkens. ad Sedul. Hymn. 2, 30.

V. 80. *Causam vincere*] Significat causam obtinere. Heins. corrigit: *causa vincere posse sua.* Et sic loquuntur melioris aetatis scriptores. Sed posteriores Latini dixerunt *vincere causam, pugnam, proelium, bellum,* ut pluribus exemplis demonstrat Oudend. ad Thom. Mag. p. 628. In Cic-

ronis locis, qui pro forma *causam vincere* laudantur, lectio est incerta. v. Ernest. Clav. Cic. v. Vincere.

V. 83. *Dulce Venus risit*] Sic Venus, a Graecis φιλομμειδὴς dicta, saepe describitur a poetis Latinis. Hor. 1. Carm. 2, 33. *Erycina ridens.* v. Heins. ad Met. 10, 558.

V. 84. *Suspensus timor*] Est, qui homines suspensos sive sollicitos reddit. Sic supra habuimus *timorem sollicitum.* v. Drak. ad Liv. 2, 32.

V. 87. *Ex aequo*] i. e. aeque. Ep. 20, 123. *Torqueor ex aequo.* Plin. Paneg. 83. *probati ex aequo.* ubi v. Swarz.

V. 88. *Victorem pedem referre* Venus poetica ratione dicitur, quod victrix discesserat. Habet autem substantivum *victor* vim adjectivi, ut alia in aliis locutionibus. Hor. 1. Carm. 15, 20. *crinis adulter.* Val. Max. 2, 1. *Successores alienorum matrimoniorum oculi.* Juv. 10, 144. *Saxa custodes.* Et passim *animus contemtor*, *liberator, victor* etc. v. Bentl. ad Hor. 4. Carm. 9, 39. Burm. ad Anthol. Lat. T. 1. p. 79.

V. 91. *Per tempora longa*] Omnino scribendum *post tempora longa*, ut Heins. legit.

V. 92. *Addit ad festos*] Verbum *addere* saepe construitur cum repetita praepositione. Suet. Calig. 40. *additum ad caput legis.* ubi v. Burm.

V. 94. *Multarum votum sola tenere potes*] i. e. quod multae voverunt, tu sola obtinere potes.

V. 96. *Nymphis*] Intelligit Oenonen, cujus etiam diserta mentio est in disticho, quod MSS. huic versui subjiciunt, et Heins. ab hujus epistolae scriptore profectum censet: *Quas super Oenonem facies mutarer in orbem. Nec Priamo est a te dignior ulla nurus.* v. Heusing. ad h. l.

V. 97. *Fastidium*] Est contemtio cum fastu et propriam sedem habet in re amatoria. Virg. Ecl. 2, 15. *tristes Amaryllidis iras Atque superba pati fastidia.* Ov. Rem. Am. 305. *Diligit ipsa alios, a me fastidit amari.*

V. 99. *Te vigilans etc.*] H. l. imitatur incertus poeta Anth. Lat. 3, 206. p. 643. *Te vigilans oculis, animo te nocte requiro, Victa jacent solo cum mea membra toro.*

V. 101. *Quid facies?*] Recte Heins. legit *quid faceres;* jam enim viderat Helenam.

V. 102. *Ignis*] Intelligitur Helena, Paridis amores. Virg. Ecl. 3, 66. *At mihi sese offert ultro meus ignis Amyntas.* v. Heins. ad h. l.

V. 103. *Nec potui etc.*] i. e. non potui spem diutius differre. Cic. de Or. 3, 5. *An me tam impudentem existimatis, ut vobis hoc munus putem diutius posse debere?* Id. de Legg. 3, 11. *sensit enim deberi non posse huic civitati illam potestatem.*

V. 107. *Spoliantur*] Ut montes arboribus *vestiri* et *amiciri* dicuntur, sic etiam *exui, nudari, spoliari.* Luc. 3, 395. *Procumbunt nemora et spoliantur robore sylvae.* v. Heins. ad Claud. R. Pros. 2, 139.

Gargarum] Est Idae montis vertex. v. Steph. Byz. in v. et Hemsterh. ad Lucian. Deor. Dial. p. 209. et 252.

V. 109. *Fundare navem*] Significat fundamenta dare navi, carinam construere. Ov. Ep. ex. P. 4, 2, 5. *Dum mea puppis erat valida fundata carina.* Phaedr. 3, 9, 2. *Cum parvas aedes sibi fundasset Socrates.* ubi v. Burm.

V. 112. *Accipit etc.*] Veterum naves in puppe habebant effigiem numinis, quae *navis tutela* appellabatur, propterea quod navis in tutela illius numinis erat. Ab hac tutela differt *insigne* vel παράσημον navis, quod erat effigies vel numinis, vel hominis, vel animalis, vel alterius rei in prora picta vel sculpta. Disputatur a viris eruditis, utrum naves a tutela in puppi, an ab insigni in prora nomen acceperint. Ex multis veterum locis apparet, eas pro variis temporibus modo nomen a Deo tutelari, modo ab insigni accepisse. Illud etiam observandum, modo eas insigne et tutelam simul, modo unum tantum habuisse. v. Ov. Ep. 19, 183. Scalig. ad Euseb. Chron. p. 400. et Intpp. ad Petron. 105.

V. 114. *Sponsor Dea*] *Sponsor* cum fem. gen. vocabulo *Dea* jungitur, ut Fast. 5, 192. *Optima tu proprii nominis auctor eris.* v. Lips. ad Tac.

Germ. 28. et Burm. ad h. l. Mox pro *sui* lege *tui*, nempe o Helena! Et sic placet Gesnero in Thes. L. L. v. Sponsor.

Dea picta] Mendosa est vox *picta*. Certe parum eleganter repetitur.

V. 116. *Jubebar*] Bene Heins. e priscarum editt. vestigiis legit *Iubebat*. Quam emendationem confirmant verba seqq. *mea vota*.

Ire aquis] Sic dicitur *ire via*, *itinere*. Hor. 1. Serm. 9, 1. *Ibam forte via sacra*. v. Drak. ad Liv. 22, 2.

V. 119. *Ut erat*] Hac formula eleganter exprimitur habitus alicujus eodem tempore et loco. Suet. Cal. 45. *sicut erant, loricati*. Claud. 9. *sicut vestitus advenerat*.

V. 125. *Ventis ferentibus*] i. e. secundis. Ov. Trist. 1, 2, 73. *Ut mare considat, ventisque ferentibus utar*. Virg. Aen. 4, 430. *Exspectat facilemque fugam ventosque ferentes*. Luc. 5, 419. *Incumbatque ferens et Graja ad moenia perflet*. ubi v. Ill. Bentl.

V. 126. *Applicor in terras*] Usitatius est *adplicor ad terras*, ut legi vult Francius. Sed vulgata lectio satis defenditur e Liv. 28, 42. *in urbem sociorum classem appulisti*.

Oebalis] Helena dicitur ab avo *Oebalo*, Tyndari patre, a quo etiam Laconica *Oebalia* vocatur.

V. 128. *Consilio*] *Consilium Dei* est voluntas divina. Alii *mentem Dei* vocant, ut Virg. Aen. 5, 56. *Haud equidem sine mente reor, sine numine Divûm Adsumus*. *Dei mentem* in signis et ominibus latentem explicabant vates, qui inde *divinae mentis interpretes* a Cic. vocantur. v. Burm. ad h. l. et Val. Flacc. 5, 2 5.

V. 131. *Sed mihi laudatam etc.*] Constructio est: Sed nihil aliud erat mihi cupienti cernere laudatam formam, quo lumina caperentur. *Laudata forma* est pulchra. Met. 5, 59. *laudatos jactantem in sanguine vultus*. ubi v. Heins.

V. 136. *Intumuisse*] i. e. aestuasse. Ducta metaphora a mari concitato. Proba est haec loquendi ratio, sed rarior. Tac. Ann. 1, 38. *intumescente motu*. Exempla a Burm. laudata sunt aliena, quippe in quibus hoc verbum de iratis vel superbia inflatis dicitur, ut passim.

V. 138. *In dubium palma*] Res, quae in judicium venit, proprie *in dubium venire* dicitur. Ter. Adelph. 2, 2, 35. *etiam de sorte nunc venio in dubium*. *Futura* autem capiendum pro ventura; nam *esse* aliquando ponitur pro *venire*, ex imitatione Graecorum, qui sic dicunt παραγίνεσθαι vel γίνεσθαι. Suet. Aug. 16. *nec prius surrexisse ac militibus in conspectum fuisse*. ubi v. Casaub. Plura exempla collegit Burm. ad h. l.

V. 141. *Nec tibi par usquam Phrygia*] Sine dubio corrupta verba *usquam Phrygia*.

V. 143. *Credis et hoc nobis*] In textum recipiendum erat, quod Heins. pater in libris MSS. invenit: *Crede sed hoc nobis*.

Vero] Substantive ponitur pro veritate, ut passim.

V. 144. *Fama etc.*] i. e parcius praedicat formam. Trist. 4, 10, 126. *Non fuit ingenio fama maligna meo*.

V. 146. *Et tua materia etc.*] i. e. causa et origo gloriae tuae superavit famam, sive forma tua pulchrior est, quam fama fertur.

V. 149. *Nitida palaestra*] Dicitur, quod peruncti oleo luctabantur. Met. 6, 241. *Transierant ad opus nitidae juvenile palaestrae*.. Fast. 5, 667. *nitida quoque laete palaestra*. Eandem ob causam *uncta palaestra* dicitur Ep. 19, 11. v. Intpp. ad h. l. Huic autem exercitio non modo juvenes, sed etiam virgines Lacaenae deditae erant. v. Cic. Tusc. 2, 14.

Nuda ludis] Nempe palaestra erat certamen quodvis corporum nudorum sine armis. Virg. Aen. 3, 281. *Exercent patrias oleo labente palaestras Nudati socii*. Unde etiam palaestra *nuda* vocatur a Stat. Sylv. 3, 1, 146. v. Markl. ad Sylv. 2, 1. 110.

V. 153. *Ante recessisset*] Imitatur Propert. 2, 6, 7. *Nam citius paterer caput hoc discedere collo*.

V. 157. *Aliquid tamen tulisses*] Nempe virginitatem, vel oscula, ut ipse explicat disticho seq.

V. 158. *Ex toto*] h. e. omnino. Quinct. Decl. 352. *Posteaquam ex toto recessisse hostem crediderint.* v. Schulting. ad Senec. Contr. 1. p. 115. Sic ap. Liv. 2, 48. *aliqua ex parte.* Apud alios *ex facili* pro facile, et similia.

V. 161. *Da modo te*] h. e. fac copiam tui, praebe te mihi facilem. Cic. ad Div. 2, 7. *da te homini*, ubi v. Manut. Similis locutio est *se praestare* sive *se praebere* alicui. v. Heins. ad h. l. et Advers. 1, 2. et not. ad Ep. 15, 213. Burm. ad Anthol. Lat. T. 1. p. 637.

V. 173. *Pliada*] i. e. Electram, Atlantis et Pleiones filiam, ex qua Jupiter Dardanum, Trojae conditorem, creavit. v. Serv. ad Virg. Aen. 7, 207. *Pliada* vero Electram vocat, quod illa est una septem Atlantis filiarum inter stellas relatarum. v. Dion. Halic. 1. p. 49.

V. 176. *Obeunda*] Non ad *sceptra* refertur, sed ad *ora*. *Obire* significat circumire, perambulare. v. Ep. 18, 8.

V. 182. *Sustinet*] Significat alere. Cic. Verr. 3, 5. *ceteris rebus juvamur ex illa provincia; hac vero alimur ac sustinemur.* Liv. 2, 34. *Ex Tuscis frumentum Tiberi venit; eo sustentata est plebs.* ubi v. Drakenb.

V. 186. *Una domus quaevis*] Praeferenda est lectio MSS. *una domus quaevis.* Sic Cic. Brut. 93. *Quivis unus ex populo.* v. Heusing. ad h. l.

V. 191. *Largis paratibus*] i. e. copiosis apparatibus. Intelligit vestitum pretiosum. Fast. 3, 627. *Utque domum intravit, Tyrios induta paratus.*

V. 196. *Therapnaeo*] i. e. Laconico, ab urbe Laconicae, quae vocatur *Therapnae.* Art. Am. 3, 49. *Probra Therapnaeae qui dixerat ante maritae.*

V. 197. *Phryx erat*] Intelligit Ganymedem.

V. 199. *Aurorae conjux*] i. e. Tithonus.

V. 200. *Noctis*] Ut Soli et Lunae, sic etiam Nocti iter adscribitur. Ergo haec vox majuscula littera scribenda.

V. 205. *Socerum*] Fabula, quam respicit, haec est. Thyestes cum Atrei fratris uxore concubuit; quam ab causam Atreus ei filios suos epulandos apposuit. Quae Sol abominatus, ne videndo pollueretur, radios suos avertit. v. Sen. Thyest. et Serv. ad Virg. Aen. 1, 568. Integritatem huic disticho constare, docet Heusing. ad h. l.

V. 207. *Soceri de caede*] Respicit fabulam hanc. Pelops, Menelai avus, Hippodamiam in matrimonium ambiens, ejus patrem Oenomaum per fraudem Myrtili aurigae curru excussit, ut fractis cervicibus periret. Myrtilum deinde in mare praecipitavit, quod ab ejus nomine Myrtoum dictum est. v. Serv. ad Virg. Geo. 3, 7.

V. 215. *Posita mensa*] *Ponere* et *apponere* verba sunt propria de cibis, qui edendi convivis dantur. Cic. Verr. 4, 22. *Apposuit patellam, in qua signa erant egregia.* Virg. Aen. 1, 706. *Qui dapibus mensas onerent, et pocula ponant.* ubi v. Serv. Petron. 119. *Quum positus esset anser altilis.* v. Heins. ad Art. Am. 1, 224. Sed ipsa etiam *mensa poni* dicitur. Val. Max. 2, 6, 1. *Jonas secundae mensae ponendae consuetudinem reperisse.* ubi plura Intpp.

V. 221. *Rumpor et invideo*] Oudend. legit *Rumpar ab invidia.*

V. 225. *Lumina demitto*] i. e. oculos dejicio. Met. 7, 133. *Demisere metu vultumque animumque Pelasgi.* Liv. 2, 58. *praesenti vultus demittere.* ubi v. Drak.

V. 226. *Crescit et invito*] Pulcre et convenienter naturae. Nam perturbati et anxii cibum dentibus conficere non possunt, haerente illo inter dentes et veluti crescente. Sen. Ep. 82. de Leonida ad certam mortem fortiter eunte: *Non in ore crevit cibus, non haesit faucibus, non elapsus est manibus.* v. Intpp. ad h. l.

V. 233. *Dolor est meus illa videre*] Infin. *videre* ponitur pro nomine *visus* ut saepe. Ep. 3, 54. *Utile dicebas ipse fuisse capi.* ubi v. quae notavimus.

V. 235. *Luctor celare*] i. e. conor celare. Sic *luctor* cum infin. struitur Ep. 17, 161. *quem dum compescere luctor.*

V. 244. *Si nescis*] Elegans formula pro ut hoc scias, ne hoc ignores.

Ep. 20, 150. *Si nescis, dominum res habet ista suum.* Virg. Ecl. 3, 23. *Si nescis, meus ille caper fuit.*

V. 250. *Jove*] Nempe cum in cycnum mutatus esset.

V. 252. *Tortilis excidit ansa*] i. e. torta, incurva. *Excidere* proprium in hac re verbum, nec commutandum cum *decidere* vel *recidere.* Rutil. Lup. 2. p. 112. *ipsum poculum suapte natura dormienti excidit.*

V. 258. *Adire*] i. e. precari. Quam verbi potestatem supra illustravimus.

V. 263. *Schoeneïda*] i. e. Atalantam, Schoenei, qui Schoenuntis in Arcadia rex erat, filiam. v. Serv. ad Virg. Ecl. 6, 61. et ad Aen. 3, 113.

V. 271. *Geminorum fratrum*] i. e. Castoris et Pollucis. Quinctil. 9, 4. ait, non necesse esse addere *fratres*, si praecesserit *gemini*; sed hanc observationem non esse perpetuam, multa loca docent. Liv. 1, 5. *cum audisset, geminos esse fratres.* ubi v. Drak.

V. 275. *Leviter destricta*] *Destringit telum*, quod summam cutem radit, leviter attingit. Met. 8, 382. *summum destringit arundo Corpus.* Virg. Aen. 9, 576. *hunc primo levis hasta Temillae Strinxerat.* v. Intpp. ad h. l.

V. 277. *Coeleste*] Dicitur pro *coelesti.* Rarior est hic abl. in *e* adjectivorum in *is* exeuntium. Ep. 8, 64. *fonte perenne* pro perenni. ubi v. notata. Intelligit autem sagittam divi Herculis a Philoctete missam. v. Oudend. ad Apul. Met. 2. p. 762.

V. 283. *Venerem temerare maritam*] i. e. Venerem, matrimoniorum praesidem, adulterio laedere. De *Venere marita* v. Broukh. ad Tibull. 1, 3, 79.

V. 284. *Fallere jura*] Recte dicitur *fallere fidem*, *fallere jus* non item. Recipienda igitur antiqui codicis lectio *solvere jura.* Virg. Aen. 2, 157. *Fas mihi Grajorum sacrata resolvere jura.* v. Burm. ad h. l.

V. 291. *Si sunt vires etc.*] i. e. tales nascuntur liberi, quales sunt parentes.

V. 294. *Tua crimina solus ego*] Exquisite is, in quo quis crimen committit, *ejus crimen esse* dicitur. Luc. 2, 266. *quis nolet ab isto Ense mori. Et scelus esse tuum.* v. Obrecht. ad Dict. Cret. 1, 5.

V. 299. *Cressia*] i. e. Cretensia. Sed auferendum unum *s*; nam *Cressa* quidem dicitur feminino genere a *Cres*, non *Cressia.* Ov. Ibid. 512. *Cresia turba.* v. Serv. et Heins. ad Virg. Aen. 4, 70.

V. 302. *Curam agas*] *Curam agere* i. q. curam gerere. Met. 9, 107. *curas pro conjuge agentem.* Petron. 106. *Deos immortales rerum humanarum agere curam.* v. Intpp. ad h. l. In aliis libris legitur *curam habe*, quod Heins. damnare non debebat. Sall. Jug. 31. *quodsi libertatis curam haberetis.* Trist. 5, 2, 48. *Ausoniae curam gentis habere Deos.* v. Misc. Obss. Nov. T. 10. p. 340.

V. 305. *Hominem sine pectore*] i. e. sine sensu communi. Hor. 1. Ep. 4, 6. *Non tu corpus eras sine pectore.*

V. 313. *Paene suis manibus etc.*] Locutio proverbialis. Val. Max. 1, 8, 18. *Quas natura ad auxilium herbae tantum non suis manibus deducit.* v. Intpp. ad h. l.

V. 314. *Non vafri*] i. e. non cauti, ut in uno MS. legitur ex glossa. Art. Am. 3, 611. *Qua vafer eludi possit ratione maritus.* Vocem *vafer* egregie ornavit Heins. ad h. l.

V. 320. *Meque adstringam*] i. e. verbis, quae tu mihi praeibis, me obligabo ad sacra jura servanda. v. Ep. 20, 27. et Heins. ad h. l.

V. 321. *Si vis*] Frequens est concedendi formula. Poeta ap. Suet. Tib. 59. *Et Marium, si vis, adspice, sed reducem.* ubi v. Intpp.

V. 323. *Ne me videare secuta*] Notanda proprietas verbi *sequi*, quod aliquid infamiae habet. Nam proprie mulier lasciva et viri appetens dicitur *virum sequi.* Virg. Ecl. 10, 21. *tua cura Lycoris Perque nives alium perque horrida castra secuta est.* Prop. 2, 35, 8. *et ignotum nonne secuta virum est?* v. Intpp. ad Petron. 81.

V. 327. *Leucippidas*] i. e. Phoeben et Ilairam, Leucippi filias, quas rapuerunt Castor et Pollux. v. Art. Am. 1, 679 et Apollod. 3, 10.

V. 332. *Novam Deam*] Hunc titulum saepe adulatio reginis tribuit, ut ex nummis et aliunde apparet. Fast. 1, 526. *Sic Augusta novum Julia numen erit.* v. Burm. ad h. l.

V. 333. *Adolebunt*] i. e. cremabunt. *Adolere* proprie est augere, et in sacris per bonum omen dicitur, sicut *mactare* et *immolare.* v. Serv. ad Virg. Aen. 1, 708 et Gesn. in Thes. L.L.

V. 341. *Dic*] Imperativus *dic* varie usurpatur. Nam interdum est objurgantis, vel exprobrantis, interdum provocantis ad probandum, ut h. l. Propert. 2, 23, 111. *Dic mihi, quis potuit lectum servare pudicum?* v. Burm. ad h. l. et ad Virg. Ecl. 3, 1.

V. 343. *Erechthida*] *Erechthis* est Erechthei, Atheniensium regis, filia, Orithyia, quam Boreas rapuisse fingitur. Sed Boreas ille haud dubie fuit rex quidam Thraciae Borealis. v. Ep. 18, 42. Schol. Apoll. Rhod. 1, 212. et quos laudat Munck. ad Hygin. Fab. 14.

V. 345. *Phasida*] Vocat Medeam a Ponti fluvio Phaside.

Pagasae oppidum Magnesiae, e cujus navalibus Argo exiit, quae saepe a Valerio Flacco aliisque poëtis *Pagasaea puppis* dicitur. v. Cellar. Geogr. Antiqu. 2, 13. p. 868.

V. 351. *Consurgere bellum*] i. e. oriri. Val. Flacc. 4, 455. *surgitque miserrima pugna.* 5, 222. *jam surgunt proelia campis.* Contrarium est *cadere.* v. notata ad Ep. 18, 2.

V. 358. *Causam nominis inde tuli*] Nempe Paris etiam *Alexander* dictus est, quod nomen significat eum, qui viros defendit, injuriam ab iis propulsat. v. Apollod. 3, 11, 5. et Schol. Hom. ad Il. μ. 93.

V. 359. *Vario certamine*] Intelligit πένταθλον, quod constabat jactu disci, cursu, saltu, jaculatione, luctatione. Justin. 7, 2. *ut etiam Olympio certamine, vario ludicrorum genere, contenderit.* v. Burm. ad h. l.

V. 361. *Neve putes*] In Guelph. Cod. versus ita scribitur: *Neve putes, Paridem, nisi cominus, esse timendum,* ut *nisi* pro *non nisi* ponatur. De quo dubitant viri docti. v. Heusing. ad h. l.

V. 362. *Figitur in jusso etc.*] *Jussus locus* est, quem quis feriendum demonstravit. Frustra Francius legit *in jussum locum.* Met. 1, 472. *Hoc Deus in nympha Peneide fixit.* Liv. 8, 8. *hastas subrecta cuspide in terra fixas.* ubi v. Intpp.

V. 366. *Innumeri militis instar habet*] i. e. tantum potest, quantum innumeri milites. Justin. 3, 4. *mittitur Gylippus solus, sed in quo instar omnium auxiliorum erat.*

V. 370. *Dorica castra*] i. e. Graeca. Nam Dores saepe generatim pro Graecis sumuntur. v. Virg. Aen. 2, 27. ubi Servium offendit repetita syllaba *ca.* Sed eam repetitionem aliquid venustatis habere, pluribus exemplis demonstrat Lacerda.

V. 371. *Sumere ferrum*] Fluctuant MSS. inter *sumere ferrum* et *sumere bellum.* Sed prius h. l. majorem vim habet, et idem propemodum significat, quod *stringere ferrum in hostem.* v. Intpp. ad h. l.

Epist. XVII.

V. 2. *Levis*] i. e. vilis, parva.

V. 4. *Sollicitare fidem*] i. e. conari, corrumpere, animum tentare ad perfidiam. Liv. 1, 30. *sollicitatis ad defectionem animis.* Ov. Ep. ex P. 3, 3, 50. *Non me legitimos sollicitasse toros.* v. Intpp. ad h. l.

V. 8. *Oppositas fores*] *Fores*, quibus clausis quis prohibetur, proprie *opponi* dicuntur. Hor. 3. Carm. 26, 8. *Vectes et arcus Oppositis foribus minaces.* Val. Flacc. 5, 606. *oppositis exspectat Iberia claustris.* v. Burm. ad h. l.

V. 14. *Tenor vitae*] i. e. constans et idem vivendi modus. Liv. 37, 57. *auctoritatem perpetuo tenore vitae partam.* Et sic ille saepius. v. Drak. ad 4, 37. et Markl. ad Stat. Sylv. 5, 2, 63.

V. 15. *Vultus tristis*] *Tristis* fere i. q. severus. Sic *sententia tristis* Met. 15, 43. ubi v. Burm. Plus tamen significat *tristis*, quam severus, ut ap-

paret ex Tac. Hist. 1, 14. *Piso aestimatione recta severus, deterius interpretantibus tristior habebatur.*

V. 21. *Attulit*] Pro *intulit.* Art. Am. 1, 679. *vis est allata sorori.* Et sic centies alii. v. Intpp. ad h. l. et Drak. ad Liv. 42, 29.

V. 23. *Delenita*] *Delenire* est mitigare, placare, molliorem reddere. v. Intpp. ad Liv. 1, 13. Saepe librariorum errore scribitur *delinire*, *delinitus*, *delinimentum*; sed Latinis inauditum est verbum *linire.* v. Drakenb. ad Liv. 5, 30.

V. 34. *Ne quando nomen*] i. e. ut semper sim aliorum fabula, ut sim in sermonibus vulgi.

V. 36. *Quem praefers*] h. e. quem prae te fers, quem ostendis. Val. Max. 2, 6, 14. *necessarii laetum praeferentes vultum.* Plura exempla v. ap. Drak. ad Liv. 27, 34.

V. 37. *Hoc quoque enim dubito*] *Dubito* saepe jungitur accusativis pronominum neutrius generis Ter. Adelph. 4, 5, 57. *haec dum dubitas.* Cic. Off. 1, 45. *id homines dubitare.* Virg. Aen. 9, 190. *percipe porro, Quid dubitem.*

V. 48. *Obumbret*] h. e. tegat. Ep. ex P. 3, 3, 75. *Tu licet erroris sub imagine crimen obumbres.*

V. 49. *Vitium auctore redemit*] i. e. crimen excusavit, levavit, quia criminis auctor Jupiter erat. *Redimere* per translationem eleganter significat, veluti interventu pretii aut compensationis alicujus, vel tollere rem ingratam et malam, vel recuperare et servare rem gratam. Planc. ad Cic. 10, 8. *non enim praeteritam culpam videri volo redemisse.* Sen. praef. l. 4. Controv. *Redimebat vitia virtutibus.* Plin. Paneg. 28. *nullam congiario culpam redemisti.* ubi v. Swarz. Adde Intpp. ad h. l.

V. 51. *Quod*] Ponitur pro *quamvis.* Ter. Eun. 5, 9, 34. *quod dicas mihi, alium quaerebam.* ubi v. Bentl. Propert. 3, 1, 49. *Quod non Taenariis domus est mihi fulta columnis.* v. Intpp. ad h. l.

V. 60. *A nostro nomine*] h. e. a me ipsa. Sic Ep. 2, 112. habuimus *nomen femineum* pro femina. ubi v. notata.

V. 72. *Auctor quae pretiosa facit*] *Auctor* est, qui donat. Simili venustate Ter. Eun. 3, 1, 4, *Laeta est? Non tam dono, quam abs te datum esse; id vero serio triumphat.* v. Intpp. ad h. l.

V. 78. *Instantes oculos*] Vocat acriter et pertinaciter intentos.

V. 79. *Quaque bibi*] De his amantium ineptiis v. Ov. Amor. 1, 4. et Intpp. ad Apul. Met. 2. p. 127.

V. 82. *Supercilio paene loquente dari*] h. e. nutibus, qui mentem tam clare exprimant, paene ut loqui videantur. Am. 2, 5, 15. *Multa supercilio vidi vibrante loquentes.*

V. 93. *Facies rara*] h. e. praestans. Proprie *rarum* est, quod non ubique reperitur; unde praestantis et eximii significationem accepit. Met. 14, 337. *Rara quidem facie, sed rarior arte canendi.*

V. 96. *Quam cadat*] h. e. quam pudor noster succumbat amori viri externi.

V. 101. *Plus audes*] Ita Sen. N. Q. 2, 11. *aër circa terram plurimum audet.* ubi v. Gronov.

V. 102. *Sed magis oris inest*] *Os* sumitur pro impudentia, audacia. Ter. Phorm. 5, 7, 24. *Quo ore redibo ad eam, quam contemserim?* Liv. 3, 71. *mirari se, quonam ore se agrum intercepturos sperent.* ubi v. Drak. Notandum, etiam *magis* perinde ac *plus* cum genit. construi.

V. 107. *Praecepta gaudia*] i. e. ante capta, occupata. Albinov. ad Liv. 29. *Fingebas reducem, praeceptaque mente fovebas Gaudia.* Liv. 22, 41. *dum ipse longius spatium fuga praeciperet.* v. Heins. ad h. l. et ad Val. Flacc. 4, 751.

V. 111. *Convellere*] Est labefactare. v. Cic. ad Div. 5, 13. et ibi Manut.

V. 124. *Teste Dea*] *Testis* aliquando ponitur pro auctore sive adstipulatore. Cic. Off 3, 29. *quorum testem non mediocrem nolite vituperare.*

V. 126. *Invidiosa mihi*] h. e. invidiam mihi creat. Inepta est altera librorum lectio *insidiosa.*

V. 135. *Ergo ego sum virtus*] i. e. ergo a te tanti putor, quanti virtus. Nam *tibi* hic etiam e seqq. adsumendum.

V. 137. *Amare repugno*] h. e. amori resisto. *Repugnare* cum infinitivo construitur, ut pugnare, quod supra illustravimus. v. Heins. ad h. l.

V. 139. *Quid bibulum curvo* etc.] h. e. quid inaniter voveam? Nam *littus arare* proverbiali locutione dicitur, qui inanem operam sumit. v. Erasm. Adag. p. 789.

Bibulum littus] Dicitur, quod humorem facile sorbet, atque adeo semper aret. Virg. Geo. 1, 114. *Collectum humorem bibula deducit arena.*

Aratro terram proscindere] Loquendi ratio poetis usitata, Met. 7, 119. *insuetum ferro proscindere campum.* v. Heins. ad h. l.

V. 147. *Ipse malo metus est*] h. e. ipse metus est incommodo, impedimentum objicit culpae.

V. 159. *Resque domusque*] *Res* est res familiaris. *Res* et *domus* saepe quasi ex formula junguntur. Hor. 1. Ep. 2, 51. *juvat illum sic domus et res.* Tibull. 1, 10, 72. *Devoveat pro quo remque domumque tuam.* v. Bentl. ad Hor. Ep. 1, 4, 11.

V. 162. *Praeter*] Eleganter ponitur pro praeterquam, nisi. Ep. 18, 80. *Praeter dimotae corpore murmur aquae.* Cic. ad Att. 5, 3. *Nullas acceperam literas, praeter quae mihi binae semel redditae sunt.* Justin. 13, 5. *Quibus omnium civitatium exules, praeter caedis damnati, restituebantur.* v. Gron. ad Gell. 1, 23. et Drakenb. ad Liv. 5, 52.

V. 170. *Et melius* etc.] i. e. melius foret, famam decepisse, alia omnia de forma mea narrando. Burmannus, qui non de forma, sed de pudicitia agi putabat, a vero sensu longe aberravit. Pro *foret* in multis MSS. recte legitur *fuit.* Saepe enim praeteritum indicativi ponitur pro plusquamperfecto subjunctivi. Cic. N. D. 3, 31. *non dari illam, humano generi melius fuit.* v. Heus. ad h. l.

V. 172. *Moribus et vitae* etc.] *Vitam* dicit, ut optimi quique, Terentius, Cicero de vita honesta. *Mores* vero et *vita* saepe junguntur. Trist. 2, 89. *vitamque meam moresque probabas.* Liv. 40, 16. *inquirendo in utriusque vitam et mores.* ubi v. Intpp.

V. 174. *Timere facit*] Pro facit, ut timeat. Quae constructio solis poetis usitata est. Propert. 2, 9, 6. *Fecit et humano corde volare Deum.*

V. 177. *Exacta voluntas*] h. e. deliberata et quasi ponderata. Nam *exigere* est examinare. Fast. 3, 637. *Nec satis exactum est, quid agat.* v. Burm. ad h. l.

V. 178. *In dubio pectora nostra labant*] Similis locus Ter. Andr. 1, 5, 3. *Dum animus in dubio est, paulo momento huc vel illuc impellitur.* ubi *impelli* i. q. hic *labare.*

V. 183. *Invitant*] i. e. alliciunt. Suet. Calig. 39. *invitatus lucro.*

V. 185. *Quam male persuades*] *Male* significat vix, aegre, ut supra vidimus. At pessime editur *Quam male persuades*, quum veteres libri optime habeant: *Quod male persuades.* *Persuadere* cum accusativo personae demum cadente Latinitate dici coepit. v. Heusing. ad h. l.

Vs 190. *Flamma resedit*] *Sedere*, *residere* vel *residere* saepe dicitur flamma, quae exstinguitur. Met. 7, 76. *pulsusque residerat ignis.* 13, 408. *Ilion ardebat, nec adhuc considerat ignis.* Lucan. 9, 75. *jam flamma resedit.* ubi v. Oudend.

V. 192. *Fuit*] h. e. evanuit, esse desiit. Sic centies dicitur *fuisse* pro mortuum esse. Tibull. 3, 5, 32. *Sive erimus, seu nos fata fuisse volent.* Anthol. Lat. 2, 120. p. 284. *Cum dicar subita voce fuisse tibi.* v. Heins. ad h. l.

V. 199. *Adde quod*] Ponitur pro praeterea. Amor. 1, 14, 13. *Adde, quod et dociles, et centum flexibus apti.*

V. 201. *Nox*] i. e. concubitus. Prop. 2, 18, 67. ex emendatione T. Hemsterhusii: *Quam care semel in toto nox venditur anno.* Martial. 9, 3. *Emta tibi nox est fundis non tota paternis.* Frequens ap. Ovid. et alios *noctem dare*, *locare*, *promittere*, *mentiri.* v. Heins. ad Art. Am. 2, 308. et Drakenb. ad Sil. Ital. 3, 429.

V. 204. *Cum ventis noster abibit amor*] *Noster amor* est amor, quo ego amor a te, amor tuus erga me. v. Drak. ad Liv. 6, 28. Omnino autem cum Francio legendum *cum velis.* Sic Ep. 5, 55. *abeuntia vela.*

V. 207. *Volucris Fama*] Dicitur, quia fingitur alata. Petron. 123. *Interea volucer, motis conterrita pennis, Fama volat.* ubi v. Burm.

V. 221. *Cultus*] Non solum de vestibus dicitur, sed etiam de omni cujuscunque generis elegantiore apparatu. Auson. Mosell. 18. *cultumque nitentis Burdigalae.* v. Markl. ad Stat. Sylv. 1, 5, 63.

V. 226. *Me tenet ista modo*] i. e. patria multum caritatis et voluptatis habet. Burmanni in h. l. explicando errorem castigavit Heusingerus.

V. 228. *Unde petam fratres*] Heins. legit *fratris.* Sed primum rarissima est productio brevis syllabae *is* in medio pentametro; deinde nihili est, quod dicit vir doctus, unum fratrem memorari, propterea quod Castor jam a Lynceo interfectus erat. Nam in hac ipsa Ep. 250. ambo adhuc superstites commemorantur. Itaque sequenda est meliorum librorum lectio: *fratres. Petere fratres* significat eos arcessere ad opem ferendam.

V. 232. *Ipsea*] Nusquam nisi h. l. Medeae mater dicitur. Itaque viri docti corrigunt *Idyia.* v. Heins. ad h. l.

V. 244. *Causam non tenuere duae*] i. e. causa cecidere. Suet. Domit. 9. *Permittit accusatori, qui causam non teneret, exilium poena esset.* v. Drak. ad Liv. 39, 3. Male autem h. l. editur *duae*, libris scriptis exhibentibus *Deae*, quae vox magnam vim habet et sumenda pro Deae maximae, potentissimae.

V. 248. *Atracis*] i. e. Thessalica, a Thessaliae urbe *Atrace.* Fabulam, quae hic attingitur, enarrat Ov. Met. 12, 210. Adde Val. Flacc. 1, 140.

V. 251. *Fortia bella loquaris*] *Loqui* proprium est magniloquentiae verbum. Val. Flacc. 1, 268. *Te parvus lituos et bella loquentem Miretur.* v. Burm. ad h. l. Ex glossa fluxit languida nonnullorum MSS. lectio: *fortia bella recenses.*

V. 252. *A verbis facies dissidet ista suis*] Heinsius pro *tuis* egregie restituit *suis.* Nam *suus* interdum exquisite ponitur pro insitus, innatus, proprius, nativus. Fast. 2, 6. *Jam lusit numeris prima juventa suis.* Trist. 1, 3, 80. *Miscuit haec lacrymis tristia dicta suis.* Virg. Geo. 2, 81. *Miraturque novas frondes et non sua poma.* Quae imitatus Calpurn. Ecl. 2, 41. vocat *non gentilia poma.* Justin. 2, 9. *nec audaciae suus eventus defuit.* v. Gron. Obss. 1, 11. 4, 17. Heins. ad Art. Am. 3, 236. Rem. Am. 54. Burm. ad Lotich. p. 251.

V. 260. *Dabo conjunctas tempore victa manus*] h. e. conjungam manus in foederis signum. Art. Am. 2, 54. *Junge tuis humiles, ambitiose, manus.* Met. 8, 421. *Victricemque petunt dextrae conjungere dextram.* Sic si locus capiatur, non opus est Burm. conjectura: *Aut dabo mox victas tempore victa manus.*

V. 263. *Adhuc tua messis in herba est*] Proverbialis locutio pro *nondum res matura est.* Frumenta, cum germen mittere coeperunt, nondum aristas, proprie *in herba esse* dicuntur. Met. 8, 290. *Is modo crescenti segetes proculcat in herba.* v. Oudend. ad Caes. B. C. 1, 48. et Intpp. ad h. l.

V. 268. *Consilium*] h. e. consiliariae. v. Suet. Aug. 35. et ibi Casaub.

Epist. XVIII.

V. 2. *Si cadat*] Saepe mari tribuitur *saevitia*, *rabies*, *ira.* Tibull. 2, 4, 10. *Naufraga quam vasti tunderet ira maris.* Met. 1, 330. *Nec maris ira manet.* v. Intpp. ad h. l. *Cadere* omnia dicuntur, quae vehementiam remittunt, leniora fiunt. Amor. 2, 13, 4. *Sed cadit ira metu.* Liv. 26, 39. *venti vis omnis cecidit.* ubi v. Drak. Male Burmannus huc trahit Prop. 2, 13, 52. *Nec sic de nihilo fulminis ira cadit.* ubi *cadere* non est desinere, sed decidere.

Sesta] A *Sestus* formatur gentile *Sestius* et feminino genere *Sestias*, *Sestis*. Itaque cum Heinsio scribendum *Sesti puella*, ut Ep. 15, 100. *Lesbi puella*. v. Steph. Byz. v. *Σηστός*, et ibi Holsten.

V. 4. *Haec mea verba leges*] Librarius, forte credens, *verba* tantum dici, quae ora proferantur, non quae scripto comprehendantur, pro *verba* dedit *scripta*, et in eundem errorem traxit Burmannum. Ipse Ovid. 1. Ep. ex P. 5, 2. *Ut sua verba legas, Maxime, Naso rogat*. 3, 4, 91. *Nec mea verba legis*. Eodem modo in hac Ep. v. 20. *dextra*, quae scribit, dicitur *loqui*, et Ep. 15, 219. epistola, quae jubet, *dicere*.

V. 5. *Cur mea vota morentur*] Cod. Scriveri habet: *cur mea vela morentur*. Sed vulgata tenenda. Ep. 19, 95. *Ventos timeo, mea vota morantes*. Met. 8, 71. *Solus mea vota moratur*.

V. 6. *Currere*] Dicitur pro *natare*, ut *cursus* Ep. 19, 75. Idem verbum pro navigare usurpari, supra vidimus.

V. 7. *Coelum pice nigrius*] Sic *caligo picea* pro atra. Met. 2, 233. Sil. Ital. 5, 37. *Squalebat spissum picea inter nubila coelum*. ubi v. Drak.

V. 8. *Cavas rates*] Dicit pro cavatas. Nam veteres ex singulis arboribus naves et lintres cavabant. Val. Fl. 1, 681. *volat inmissis cava pinus habenis*. v. Drak. ad Sil. Ital. 12, 521.

V. 11. *Nisi quod*] i. e. sed tamen non adscendebam, quod. Cic. ad Att. 2, 1. *praedia me valde delectant, nisi quod illum aere alieno obruerunt*. Harum particularum vim illustrat Swarz. ad Plin. Paneg. 86. et Intpp. ad Suet. Vitell. 7.

V. 12. *In speculis omnis Abydos erat*] h. e. spectabat, observabat. Cic. p. Dejot. 8. *regem semper in speculis fuisse*. Act. 1. Verr. 16. *homines in speculis sunt*.

V. 20. *Cum charta dextra loquuta est*] Poetice dicitur pro dextra scripsit in charta. Similiter Ep. 21, 244. qui chartam legit, *cum ea loqui* dicitur.

V. 23. *Dare verbera Ponto*] Poetae dicunt pro natare, quia natantes mare brachiis pulsant. Similiter *remi undas verberare* dicuntur. v. Virg. Aen. 10, 207. et Lucan. 3, 537.

V. 26. *Ut*] Ponitur pro postquam. Cic. Brut. 13. *Ut semel Piraeeo eloquentia evecta est*. Plura exempla v. ap. Heins. ad h. l. et in Notis ad Rutil. Lup. 2. p. 136.

Fervere] Dicitur mare, quia, cum aestuat, simile est aquae ferventi. Inde *freta* dicuntur angustiae maris.

V. 27. *Vidi somnum*] h. e. sensi somnum, dormivi. Nam *videre* de omnibus sensibus, quibus aliquid percipimus, dicitur. v. Oudend. ad Lucan. 1, 254. Ter. Heaut. 3, 1, 82. *somnum ego hac nocte oculis non vidi meis*.

Mulcentem pectora] Temere Francius corrigit: *mulcentem tempora*. Met. 8, 84. *Pectora somnus habet*. Ep. ex P. 3, 3, 12. *E tepido pectore somnus abit*. v. Broukh. ad Tibull. 3, 4, 81.

V. 31. *Lumina*] Vocat lucernam, quam Hero in turre posuerat, ut Leander cursum suum ad ejus lumen dirigeret. Lucerna vero, quae clare lucet, *vigilare* dicitur, ducta methaphora a custodibus vigilias agentibus. Ep. 19, 35. *Protinus in summa vigilantia lumina turre Ponimus*. Hor. 3. Carm. 8, 14. *et vigiles lucernas Perfer in lucem*. Contra lucerna, quae non clare lucet, *dormire* dicitur. Ep. 19, 195. *jam dormitante lucerna*.

V. 34. *Carpere iter*] Locutio poetis propria pro facere iter. Met. 8, 208. *Me duce carpe viam*.

V. 37. *Rapidis*] *Rabidis* legere malit Oudend. ad Lucan. 6, 27. De harum vocum confusione diximus supra.

V. 38. *Certa mente*] i. e. obstinata.

V. 41. *Improbus*] Dicitur, qui non imperat amori suo, audax petulans. Art. Am. 1, 665. *Pugnabit primo fortassis, et, Improbe, dicet*. Ep. 20, 147. *Improbe, tolle manus*. Petron. 83. *candidus Hylas repellebat improbam Naida*. ubi v. Burm.

V. 42. *Ignibus Actaeis incaluisse negas*] h. e. amasse Orithyiam, filiam Erechthei, regis Athenarum. v. notata ad Ep. 16, 343.

V. 43. *Gaudia rapturo si quis* etc.] Unus cod. habet *gaudia laturo*. Frequens Ovidii locutio est *gaudia ferre*, pro rem habere cum muliere, ut Heins. ad h. l. docet. Sed nihil mutandum. Nam *gaudia* poeta vocat ipsam amicam. Ep. 15, 109. *fugiunt tua gaudia*. Ep. 19, 21. *Janne putas exisse domo mea gaudia, nutrix?*

V. 46. *Hippotades*] i. e. Aeolus, Hippotae filius, rex ventorum. v. Serv. ad Aen. 1, 52. Vovet autem, ne Boreas ab Aeolo carceri includatur. Particulam *sic* in votis usitatam supra explicuimus.

V. 50. *Icarium quamvis etc.*] h. e. etsi Icari exemplum me monere debet, ne idem tentem. Nota est fabula.

V. 52. *Pependit aqua*] Eleganter, qui natat, *aqua pendere* dicitur. Ep. 19. 150. *Corpus Leandri, spes mea, pendet aquis*. Virg. Aen. 1, 106. *Hi summo in fluctu pendent*.

V. 54. *Mente agito*] i. e. cogito. Cic. de Senect. 12. *quin tamdiu, dum ita gauderet, nihil agitare mente posset*. Pro quo etiam simpliciter dicitur *agitare*. Liv. 25, 36. *circumspicere atque agitare dux coepit*. v. Drakenb. ad Liv. 44, 18.

V. 55. *Nox erat incipiens*] Pro nox inceperat, qui Graecorum mos est, sed optimis etiam scriptoribus Latinis usitatus. Exempla supra dedimus. v. Oudend. ad Apul. Metam. 3. p. 220.

V. 60. *Officiosus*] Proprie dicitur, qui magnos vel divites viros honoris caussa comitatur, deducit, et alia officia praestat ad speciem et cultum pertinentia. Hor. 1. Ep. 7, 8. *Officiosaque sedulitas, et opella forensis*. Stat. Praef. Sylv. 5. *huic operi non quasi officiosus assilui*. ubi v. Markl.

V. 61. *Suspiciens*] h. e. sursum adspiciens. Met. 11, 505. *Suspicere inferno summum de gurgite coelum*. Cic. somn. Scip. 1. *aliquantoque post suspexit coelum*.

V. 62. *Subeant animo tuo*] Forte praestat, e MSS. legere: *subeant animos tuos*. Certe accusativus usitatior est in hac forma. Met. 7, 170. *Dissimilemque animum subiit Aeeta relictus*. v. Burm. ad h. l.

Latmia saxa] Latmus, mons Cariae. De ipsa fabula v. notata ad Ep. 15, 90.

V. 66. *Quam sequor*] *Sequi* eleganter ponitur pro appetere. Cic. de Legg. 2, 1. *Ego amoenitatem hanc et salubritatem sequor*. de Amic. 27. *Etiamsi tu utilitatem minus secutus sis*. Virg. Ecl. 2, 64. *Florentem cytisum sequitur lasciva capella*.

V. 68. *Forma nisi in veras non cadit illa Deas*] h. e. talis forma non convenit, nisi veris Deabus. Cic. de Off 3, 20. *Cadit ergo in virum bonum, mentiri emolumenti sui causa?* p. Sull. 27. *Non cadit in hos mores ista suspicio*.

V. 69. *A Veneris facie*] *Prior* hic non ad ordinem, sed ad dignitatem refertur, notatque praestantior. Praepositio *a* ponitur pro post. Hor. 2. Serm. 3, 193. *Cur Ajax heros ab Achille secundus?*

V. 71. *Quanto concedunt flammis* etc.] Rectius videri posset, quod est in MSS. nonnullis: *Quantum concedunt*. Verum etsi nullus hic est comparativus, tamen sensui comparatio inest. Itaque *quanto concedunt* idem est, ac si dixisset *quanto minora sunt*. Similiter Met. 1, 464. *quantoque animalia cedunt Cuncta tibi, tanto minor est tua gloria nostra*. De hac constructione praeter Intpp. ad h. l. accuratissime disputat Drakenb. ad Liv. 5, 10. *Concedere* ponitur pro simplici cedere. Liv. 6, 6. *quod majestati ejus viri concessissent*. ubi v. Drak.

V. 76. *Nocte*] Haec vox otiosa est et haud dubie corrupta. Eleganter P. Francius emendat: *Per mihi cedentes sponte ferebar aquas*.

V. 81. *Alcyones et Ceycis*] Fabulam enarrat Ov. Met. 11, 410. sqq.

V. 86. *Numen habent*] Hoc alienum est, aptius *lumen*, quod libri veteres habent. *Lumen* est in blanditiis amantium. v. Heusing. ad h. l.

V. 88. *Visaque, quam fuerat, mollior unda mihi*] h. e. labor natandi mihi visus est facilior.

V. 91. *Propiora littora fiunt*] Leander natando ad littora accedebat, sed littora proprie non fiebant propiora. Sed poetae saepe hoc modo loquuntur,

tanquam cum *terram*, a qua recedimus, *recedere* dicunt, *urbem*, quam transimus, *transire*. Virg. Aen. 3, 72. *Provehimur portu: terraeque urbesque recedunt.* ubi v. Serv. Met. 11, 466. *ubi terra recessit Longius.* Val. Flacc. 2, 431. *Tunc tenuis Lemnos transitque Electria tellus.* v. Gron. ad Sen. Med. 164. et Drak. ad Sil. Ital. 3, 157.

V. 95. *Nunc*] Recte *nunc* editur, non *tunc*. Nam tempus praeteritum Leander sibi fingit, ut praesens. v. Met. 1, 321. 3, 345. Burm. ad h. l. et Oud. ad Lucan. 8, 41.

V. 103. *Deque tuis demtos humeris mihi tradis amictus*] Plures libri scripti: *Eque tuis demtos*. Sed *de* praeferendum. Nam veteres libenter geminant praepositiones. Hor. Carm. 1, 1, 21. *Nec partem solido demere de die Spernit.* v. Drak. ad Liv. 7, 41.

V. 104. *Aequoris imbre comam*] *Imber* dicitur de quovis copioso humore. Ep. ex P. 4, 1, 30. *Aequoreo madidas quae premit imbre comas.*

V. 113. *Oscula congerimus properata* etc.] Versus pulcherrimus, in quo copula omissa est ex arte, ut summa indicetur festinatio. Hoc artificium explicat Longin. π. ὕ. §. 20.

V. 114. *Noctibus*] Latini Graecorum imitatione dicunt pro nocte. Hor. 1. Carm. 25, 7. *Me tuo longas pereunte noctes, Lydia, dormis!*

V. 117. *Virginis aequor*] h. e. Hellespontum, quia Helle virgo in id delapsa fingitur.

V. 121. *Via prona*] Est, quae ex alto in humiliorem locum descendit, atque adeo facilis. Justin. 1, 5. *pronam ad regnum viam ingrediatur.* v. Heins. ad Sil. Ital. 3, 515.

V. 125. Magis Ovidianum est, quod libri veteres exhibent: *Cur animis juncti sejungimur undis?* v. Heusing. ad h. l.

V. 126. *Unaque mens, tellus non habet una duos*] h. e. cur una mens habet duos, et cur una tellus non duos? Elegantem hujus locutionis brevitatem explicat Gron. Obss. 4, 2. Saepe vero amantes se vocant *dimidium animae*, *portionem animae*, *partem sui*. etc. v. Heins. ad Ep. ex P. 1, 6, 17. et Jac. Tollium ad Auson. p. 778.

V. 129. *Confundor*] h. e. perturbor. Justin. 32, 2. *turba querelarum confusus adolescens, repente obticuit.* Amor. 3, 9, 15. *Nec minus est confusa Venus, moriente Tibullo,* ubi v. Intpp.

V. 131. *Curvi*] Curvi vel pandi delphines dicuntur a forma. v. Prop. 3, 15, 25. et Met. 2, 265. et Burm. ad h. l.

V. 133. *Limes aquarum*] *Limes* proprie est terminus, qui separat agros vicinorum, sed a poetis pro via dicitur. Lucan. 6, 15. *Hoc iter aequoreo praecepit limite Magnus.* Sil. Ital. 16, 338. *Votique peractam Majorem credunt praecepto limite partem.* ubi v. Drak.

V. 135. *Non esset*] Significat non liceret iterare. *Est* cum infin. millies dicunt poetae pro licet, ut Graeci ἐστὶ pro ἔξεστι. v. Vechn. Hellenolex. p. 363. Sed verissime Heins. emendat: *Quod mihi non esset, nisi sic iter ante, querebar.* Idque confirmat Heusing. ad h. l.

V. 137. *Athamantidos*] h. e. Hellespontus. Athamantis dicitur Helle, Athamantis filia.

V. 141. *Amissa ab Helle*] h. e. propter amissam Hellen. *Amissa* exquisite ponitur pro mortua. Justin. 1, 9. *ante famam amissi regis occupat facinus.* Flor. 2, 14. *amissum cum legione praetorem.* Ita *amissio* pro *morte* ap. Plin. Ep. 1, 12. v. Drak. ad Liv. Epit. 127.

V. 144. *Lanigero vellere*] Recte Francius legit *lanigero tergore*, ut Prop. 2, 20, 6. *Aurea, qua molli tergore vexit ovis.* *Tergus* recte dicitur *lanigerum*, *vellus* non item, nisi *vellus* capias pro pelle.

V. 147. *Arte egeo nulla*] h. e. non egeo arte, qua nautas, qui feliciter navigare velint, instructos esse oportet. v. vs. 49. Sed MSStorum insignis varietas corruptelae suspicionem movet. Itaque alia lectio et alius sensus quaerendus videtur. v. Intpp. ad h. l.

V. 149. *Nec sequar aut Helicen aut Arcton*] Helicen, sive ursam majorem, observabant nautae Graeci; Arcton, sive ursam minorem, quae et Cynosura dicitur, Tyrii. v. Manil. 1, 303. sqq. et Hygin. Astron. 2, 1, 2.

V. 152. *Parrhasis ursa*] Callisto, Lycaonis filia, in ursam mutata est

a Diana, sed inter sidera relata a Jove. v. Hygin. Astron. 2, 1. *Parrhasis* dicitur a patria Parrhasia, h. e. Arcadia. Trist. 1, 3, 48. *Versaque ab axe suo Parrhasis Arctos erat.*

V. 153. *Quod Perseus*] Perseus amavit Andromedam, Jupiter Callistonem, Bacchus Ariadnen, cui etiam coronam donavit, post inter sidera relatam. Notandum, *quod* h. l. pro *quam* poni. Saepe enim et poetae et prosae orationis scriptores neutro genere utuntur, ubi viri et mulieres intelliguntur. Fast. 2, 415. *Quod lupa nutrit* pro quos lupa nutrit. Ep. 2. ex P. 8, 46. *Cumque bonis nuribus, quod peperere nurus.* v. Burm. ad h. l. et ad Lucan. 5, 729.

V. 155. *Lumen certum*] Est clarum, splendidum, quod non fallit nautas, cursum suum ad id dirigentes. Tibull. 1, 10, 9. *Ducunt instabiles sidera certa rates.* ubi v. Broukh. Manil. 1, 308. de Cynosura: *Poenis haec certior auctor.* Lucan. 3, 218. *Certior haud ullis duxit Cynosura carinis.* v. Intpp. ad h. l.

V. 158. *Thessala pinus*] h. e. navis Argo, in Thessalia aedificata. *Pinus* frequens poetis pro navi, ut multis exemplis ostendit Heinsius, quia naves fere ex hac arbore fieri solebant.

V. 159. *Palaemona*] Ino et Melicerta, ejus filius, cum se in mare praecipitassent, a Baccho commutati sunt in Deos marinos. Ino Graecis dicta *Leucothoe*, latine *Mater Matuta.* Melicerta graece dictus *Palaemon*, latine *Portunus.* Fabulam narrat Ov. Fast. 6, 543. sqq. Met. 4, 520. sqq. Serv. ad Virg. Geo. 1, 437.

V. 160. *Subito reddidit herba Deum*] Heins. legere malit: *quem subitum reddidit herba Deum*, ut adjectivum *subitum* pro adverbio *subito* ponatur. Hoc certe magis poeticum et ex more Ovidii Trist. 2, 389. *Fecit amor subitas volucres cum conjuge regem.* Val. Flacc. 2, 51. *Subitus quum, luce fugata, Horruit imbre dies.* Intelligit vero Ovidius Glaucum, Deum marinum, qui, cum ante piscator fuisset, herba quadam degustata immortalitatem adeptus est. Fabulam narrat Ov. Met. 13, 898. sqq.

V. 166. *Ut celer Eleo carcere missus equus*] Intelligit curule certamen Olympicum, quod ad urbem Elidem celebrabatur. *Carcer* vel in plurali *carceres* sunt septa, e quibus equi vel currus ad certamen emittuntur. Serv. ad Aen. 1, 54. poetis proprium putat, *carcerem* in singulari hoc sensu dicere. Sed et Auctori ad Herenn. 4, 3. singularem e MSS. vindicat Oudendorpius. Lucan. 1, 295. *Eleus sonipes, quamvis jam carcere clauso Immineat foribus. Mitti* vero proprie dicuntur equi, cum eis procurrendi signum datur. Tibull. 1, 4, 28. *Qui prius Eleo est carcere missus equus.* Unde *missus* dicuntur procursiones. v. Ciofan. ad h. l.

V. 167. *Servo amores*] h. e. observo, quemadmodum nautae sidera observant, ut cursum ad ea dirigant. Simplex *servare* saepe ponitur pro composito *observare.* Val. Flacc. 1, 18. *Grajis Helice servanda magistris.* Sic frequens formula est *servare coelum*, vel *servare de coelo.* v. Heins. ad Sil. Ital. 3, 380. et Burm. ad Val. Flacc. 4, 105.

V. 168. *Magis coelo digna*] sc. quam Andromeda, Ariadna et aliae, quas supra commemoravit.

V. 170. *Qua*] Pro qua via. Liv. 9, 44. *Qua duci proxime potest, expeditas legiones ad collegam ducit.* v. Intpp. ad Liv. 1, 23.

V. 171. *Exiguum misero contingis amanti*] h. e. amanti non licet, nisi perraro te praesente frui. Pervulgata est locutio *res mihi contingit;* sed rarior et exquisitior *homo contingit rei* vel *homini*, unde voluptatem, honorem, commodum capit. Lucan. 5, 383. *summo dictator honori Contigit.* Sic optime e codd. legit Cort. ad Plin. Ep. 8, 7. cui frustra obloquitur Burm. Plin. Paneg. 14. *Apud eos semper major et clarior, quibus postea contigisses.* Ov. Amor. 3, 7, 43. *Haec mihi contigerat; sed vir non contigit illi.*

V. 174. *Brevis aqua*] h. e. angusta. Ep. 19, 142. *Seducit terras haec brevis unda duas.* Lucan. 9, 957. *Non Asiam brevioris aquae disterminat usquam Fluctus ab Europa.*

V. 178. *Res, spes*] Eleganter *res* et *spes* opponuntur. Cic. ad Div. 12, 25. *Non solum spe, sed certa re jam et possessione* deturbatus sum. Idem

ap. Serv. ad Aen. 6, 877. *non enim spes laudanda, sed res est.* Liv. 36, 40. *spem pro referentes.* v. Intpp. ad h. l.

V. 180. *Hoc pene*] sc. quod pene manu nos tangimus et tamen contingere non possumus. Illud igitur *pene* capiendum est ἐν ὑποκρίσει, ut Grammatici loquuntur. Plaut. Amph. 1, 3, 32. *Id actutum diu est.* Ter. Andr. 2, 2, 13. *Atque istuc ipsum nihil pericli est.* Ov. Ep. 20, 13. *Nunc quoque idem timeo, sed idem tamen acrius illud Adsumsit vires.*

V. 181. *Fugientia prendere poma*] Alludit ad fabulam Tantali, de qua v. Serv. ad Virg. Geo. 3, 7.

V. 182. *Refugi fluminis*] h. e. recedentis, cum Tantalus aquam ore captaret. Claud. in Rufin. 2, 509. *Te refugi fallant latices.* v. Markl. ad Stat. Sylv. 1, 3, 31.

V. 183. *Te numquam tenebo*] h. e. numquam te complectar. Sic qui in cognatorum et amicorum, quos adesse gaudebant, complexum ruerent, solemni formula dicebant: *teneo te.* Ter. Heaut. 2, 4, 26. *Teneo te, Antiphila, maxime omnium optata animo meo.* Petron. 139. *Teneo te, qualem speraveram.* Quinctil. Decl. 18. *teneo unicum meum.* v. Lacerd. ad Virg. Ecl. 1, 31. et Graev. ad Suet. Caes. 59.

V. 185. *Firmum*] h. e. constans. Ov. Ep. 21, 151. *cum me tibi firma negavi.*

V. 187. *Cum mihi laeserit aequor*] *Mihi* significat in damnum, in incommodum meum. Pro *laeserit* Burm. legere tentat *cluserit;* sed aliud quid latere videtur.

V. 188. *Plias*] Pro Pliades, singularis pro plurali. Latini *Pliades* alio etiam nomine *Vergilias* adpellant. v. Eratosth. Catast. 23.

Arctophylax] Filius Jovis et Callistus, quem Jupiter in sidus mutavit. v. Metam. 2, 496. Eratosth. Catast. 8. Hygin. Astron. 2, 4. Alio nomine *Bootes* vocatur.

Olenium pecus] h. e. capella Amalthea, quae in Aeolidis urbe Oleno Jovem infantem lactavit et postea inter sidera est recepta. Fast. 5, 113. *Nascitur Oleniae signum pluviale capellae.* v. Hygin. Astr. 2, 3. et ibi Munck.

V. 197. *Partes*] h. e. regiones, oras. Trist. 3, 3, 3. *in extremis ignoti partibus orbis.* Sic saepe *partes* dicuntur a Mela, aliisque Geographis, ut μέρη a Graecis. v. Gron. diatr. Stat. 1. p. 3.

Expellar] h. e. ejiciar tanquam naufragus. Ov. Ep. 10, 87. *Et freta dicuntur magnas expellere phocas.* Cic. Verr. 5, 35. *classem in litus expulsam et ejectam.*

V. 198. *Teneant portus*] *Tenere portus, insulam, littus, terram,* significat appellere. Fast. 1, 498. *Nave secat fluctus Hesperiamque tenet.* Liv. 21, 49. *Quinqueremes insulam Vulcani tenuerunt,* ubi v. Intpp. Interdum etiam *tenere* hoc sensu de itinere terrestri dicitur. Fast. 2, 313. *Iamque nemus Bacchi Tmoli vineta tenebat.* ubi v. Heins.

V. 200. *Mortis causa*] Burm. codd. quosdam secutus legit *morti causa,* quam formam loquendi multis exemplis illustravit Drak. ad Liv. 3, 46. Sed vulgata tenenda. Sic Ep. 10, 144. *Cur sis tu mihi caussa necis.* v. Oud. ad Suet. Tib. 52.

V. 205. *Pace brevi nobis opus est*] h. e. mari in breve tempus tranquillo opus est. *Pax* mari placato etiam tribuitur. Ep. ex P. 2, 9, 27. *Si pacem nullam pontus mihi praestet eunti.* Sil. Ital. 14, 118. *Qua portus muris pacatas applicat undas.* v. Heins. supra ad v. 147.

Isto] Ponitur pro *isthuc.* Trist. 5, 1, 79. *Cur mittam, quaeritis, isto.* Sic *illo* pro *illuc.* Caes. B. G. 6, 13. *plerumque illo discendi causa proficiscuntur.* Sic *hoc* pro *huc.* Planc. in Cic. Epp. ad Div. 10, 21. *hoc me venire.* ubi v. Graev. Virg. Aen. 8, 423. *Hoc tunc ignipotens coelo descendit ab alto.* ubi v. Serv. Adde Intpp. ad h. l.

V. 207. *Navale*] Est locus siccus et tutus, in quem naves, cursu confecto, subducuntur. Singularis *navale* etiam occurrit. Met. 3, 661. quod notandum, nam alii scriptores semper *navalia* dicunt in plurali.

V. 209. *Claudat Boreas*] h. e. teneat, ne in patriam reverti possim.

V. 211. *Facere convicia* eodem modo dicitur, quo *facere verba*; itaque non opus, cum aliis corrigere: *Nec jaciam surdis convicia fluctibus.* v. Intpp. ad Met. 5, 664.

V. 215. *Remis corporis*] Ut Ovidius h. l. brachia, sic Met. 5, 558. volucrum alas vocat *remos.* Eleganter etiam Auson. Ep. 3, 13. *anates remipedes* dicit, quoniam remorum loco pedibus utuntur.

V. 216. *In adspectum*] Sic e MS. legendum, non *in adspectu.* Nam Leander Herouem jubet lucernam sic erigere, ut ipse eam adspicere possit. v. Oudend. ad Apul. Met. 2. p. 131. Praepositio *in* cum acc. notat finem et causam, cur quid fiat, ut supra observavimus.

V. 218. *Prosequar*] Pro simplici sequar. Liv. 3, 52. *Prosequuntur conjuges liberique*, ubi v. Drak.

Epist. XIX.

V. 1. *Verbis - rebus*] Elegans oppositio *verbis — rebus.* Sallust. Jug. 48. *Verbis pax nuntiabatur, re bellum acerrimum erat.* Liv. 39, 27. *Re, non verbo, eos liberos relinquant.* ubi v. Drak.

Leandre] Vocativus Graecus a nominativo Leandros.

V. 4. *Da veniam fassae*] Putabant amantes, si faterentur amorem suum, sibi parcendum esse. Ov. Ep. 16, 9. *Parce, precor, fasso.* Sabin. Ep. 2, 47. *Ignosce et fasso.*

Non patienter amo] Exquisite dicitur pro non moderate amo. Martial. 14, 163. *Dum sibi non credit, nec patienter amat.* Arnob. 4. p. *amiculis delectatus impatientiam suam spargebat passim.* v. Gron. Obss. 4, 25

V. 8. *Deficiam*] h. e. moriar. Justin. 12, 13. *cum deficere eum amici viderent.*

V. 8. *Rus geniale*] h. e. hilaritati, risui, jocisque aptum, ubi genio indulgetur. Amor. 2, 13, 7. *genialiaque arva Canopi.* ubi h. v. praeclare illustrat Heinsius. Eodem sensu *hiems genialis* ap. Virg. Geo. 1, 392

V. 10. *Ponere tempora*] Significat transigere, consumere tempus. Cic. de Orat. 3, 5. *omne illud tempus in acerrima atque attentissima cogitatione posuisse.* ad Div. 5, 21. *unum tecum diem libentius posuerim, quam hoc omne tempus cum plerisque eorum.*

V. 11. *Uncta palaestra*] Est, quae *nitida* dicitur. Ov. Ep. 16, 149. ubi v. notata. Vox *dona* nullum sensum habet. Heins. conjicit: *aut unctae lucta palaestrae.*

V. 12. *Sequax equus*] Qui frenum sequitur, qui frenis obtemperat. v. not. ad Ep. 4, 46.

V. 13. *Ducitis*] h. e. decipitis. Ter. Andr. 4, 1, 20. *Etiam nunc me istis dictis ducere postulas.* Propert. 2, 13, 57. *Mentiri noctem, promissis ducere amantes.* Met. 7, 301. *Quas tempore callida parvo Colchis amicitiae mendacis imagine duxit.* ubi v. Burm.

V. 14. *Diluitur posito serior hora mero*] Oudend. emendabat: *Diluitur posito serior cura mero.* Sic Art. Am. 1, 238. *Cura fugit multo diluiturque mero.*

V. 15. *His mihi submotae*] h. e. cum ego, ut mulier, non possim exercere has viris proprias artes. *His* ponitur pro *ab his.* v. Drakenb. ad Liv. 2, 59.

Vel si] h. e. etiamsi. *Vel* pro *etiam* millies dicitur. v. Manut. in Cic. ad Div. 9, 8. et Intpp, ad Liv. 24, 22

V. 18. *Reddere* simpliciter dicitur pro par pari referre. Ter. Eun. 5, 7, 18. *reddam hercle.* Saepius plene dicitur *reddere vicem*, ut Am. 1, 6, 23. *Redde vicem meritis.* v. Intpp. ad Petron. 58.

V. 19. *De te susurro*] h. e. de te suppressa voce loquor. v. Met. 3 643. et 7, 825.

V. 22. *Verbis tuis*] h. e. iisdem verbis, quibus tu ea corripuisti in epistola ad me data.

V. 25. *Amantia lumina*] Sic *amantia verba.* Fast. 6, 113. *amantes oculos* Apul. 2. p. 26. per appositionem *amatores oculos* dicit. v. Oudend. Misc. Obss. T. 2. p. 301.

V. 29. *Utque rogem de te*] Constructio haec est: Et quaero, si quis Abydo venerit, aut si quis Abydon eat, ut rogem de te et scribam tibi. *Si* ponitur pro *an*, ut v. 27. *specto, si sint in littore passus.*

V. 33. *Amicior*] h. e. gratior. Ep. 17, 264. *Haec mora sit voto forsan amica tuo.*

V. 41. *Mea gaudia*] h. e. Leandrum, quem amo. v. 17. *mea sola voluptas.* v. Ep. 18. 43.

V. 44. *Pallade pingui*] h. e. oleo. Nam ut Bachus pro vino, Ceres pro frumento; sic Pallas pro oleo ponitur. Pro arbore oliva Pallas occurrit Amor. 7, 16, 8.

Tinguere membra] *Tinguere* factum est e tangere, ut *contingere* e *contangere*. Itaque *tangere* etiam dicitur pro leviter imbuere, inungere, illinere, quae forma tanquam exquisitior hic revocanda e libris MSS. Propert. 4, 3, 60. *Seu voluit tangi parca lucerna mero.* Virg. Georg. 3. 448. *Aut tonsum tristi contingunt corpus amurca.* Calpurn. Ecl. 5, 54. *Frigida nocturno tanguntur pascua rore.* Fast. 4, 266. *Tactae rore queruntur aves.* Hanc formae *tangere* significationem multi explicuerunt, quos laudant Broukhus. ad Tibull. 1, 9, 52. et Intpp. ad h. l. Sed nemo elegantius magno Gronovio Obss. 3, 18.

V. 45. *Fere*] Est plerumque. Rem. Am. 131. *Temporis ars medicina fere est.* Cic. p. leg. Manil. *Hoc jam fere sic fieri solere accepimus.* v. Heins. ad Ep. 18, 59. Multum in hujus particulae potestate constituenda tricatur Burmannus ad Phaedr. 1, 13, 2. Tenendum id, quod Cl. Ernestus ad Tursellin. de Partic. praeclare docet. *Fere* et *ferme* non semper minuit, sed modestiae causa additur, si forte erremus. aliquid obliti simus, praetermiserimus; idemque etiam interdum est, quod *ni fallor*, *ut opinor*. Misc. Obss. T. 10 p. 153.

V. 46. *Obrepens somnus*] *Obrepere*, *irrepere*, *surrepere* dicuntur, quae non sentientibus nobis superveniunt. Fast. 3, 19. *Blanda quies furtim victis obrepit ocellis.* Hor. A. P. 360. *Verum operi longo fas est obrepere somnum.* ubi v. Bentl. Adde Heins. ad Met. 7, 155. Pro *somnus obrepit* infra v. 56. dicitur *sopor furtim subit.*

V. 47. *Navigat*] h. e. natat. Sic Ep. 18, 215. Leandro *remi corporis* tribuuntur.

V. 53. *Auribus vocem captare*] Significat attentis auribus vocem haurire. Plaut. Casin. 2, 8, 8. *captandus est horum clanculum sermo mihi.* Quod idem Mil. 4, 1, 43. comice extulit: *aucupium auribus facere.* Ter. Phorm. 5, 6, 29. *Aurem admovi: animum coepi attendere: hoc modo sermonem captans.*

V. 55. *Decipere noctem*] i. q. fallere noctem, h. e. colloquendo efficere, ne nox longa videatur. Quam loquendi rationem supra explicuimus.

V. 56. *Subit*] Hoc verbum fere significat aliquid occulti et furtivi, ut *obrepere* v. 46. Amor. 1, 2, 6. de amore: *An subit, et tacita callidus arte nocet?* v. Broukh. ad Prop. 1, 9, 26.

V. 59. *Videor*] i. e. somnio. Ov. Ep. 16. 45. *Illa sibi ingentem visa est sub imagine somni.* Liv. 8, 6. *nocturnus visus inter se consules contulerunt.* ubi mox sequitur: *quae somno visa fuerant.* ubi v. Drakenb.

V. 62. *Fovere*] i. e. calefacere. Prop. 2, 18, 37. *Atera me cupidis teneat foveatque lacertis.* Tibull. 1, 9, 30. *Ut foveas molli frigida membra sinu.* ubi Broukh.

V. 63. *Multaque praeterea*] Recte Burm. legit: *multaque praetereo.* Alioquin accusativus *multa* non habet, quo referatur.

V. 71. *Tractabile*] i. e. quietum, placidum. Plin. H. N. 10, 32. *Siculum mare utique tractabile.* Nazar. Paneg. 36. *Cruda adhuc hyeme iter gelu intractabile.* v. Misc. Obss. Nov. T. 10. p. 220.

V. 74. *Rapta via est*] i. e. celerrime capta. Sic *rapere iter* ap. Lucan. 4, 151. et *rapere fugam* ap. Val. Flacc. 5, 272. v. Intpp. ad Val. Flacc. 2, 252. Et sic in multis locutionibus *rapere* ponitur pro festinanter capere. v. Heins. ad h. l.

V. 77. *Mutata est forma profundi*] In veteri cod. legitur: *mutavit forma profundi.* Eleganter *mutare* saepe passiva significatione dicitur, ut *vertere*, *praecipitare*, *movere* et multa alia verba, quae recenset Vechner. in

Hellenolex. p. 60. Sall. Jug. 38. *mortis metu mutabant.* Liv. 5, 13. *Annona ex ante convecta copia nihil mutavit.* Tac. Ann. 12, 29. *imperii diuturnitate in superbiam mutans.* v. quae diximus ad Vell. Pat. 2, 82.

V. 81. *Lenta*] i. e. expers curae, remisso animo. Virg. Ecl. 1, 4. *Tu, Tityre, lentus in umbra* Tibull. 1, 5, 45. *qui lentus rides mala nostra.* ubi v. Broukh. Sil. Ital. 7, 440. *Audivit sacrae lentus certamina formae.* Vim exemplorum habet Heins. ad h. l.

Ventos tonantes] Venti propter sonitum, quem edunt tonitrui similem, saepe *tonare* dicuntur. Ov. Ep. 13, 121. *ventos audite tonantes.* Met. 15, 70. *An venti discussa nube tonarent.*

V. 85. *Minax aequor*] i. e. tam saevum, ut mortem minari videatur. Sil. Ital. 12, 157. *Miratur pelagique minas terraeque labores.*

V. 88. *Virtus*] Hic in malam partem sumitur pro audacia, confidentia. v. Burm. ad h. l.

V. 100. *Ducar*] i. e. existimer. Cic. de Amic. 19. *retinent caritatem in pastores, quos patres multos annos esse duxerunt.* Exemplorum plena omnia. v. Drakenb. ad Liv. 9, 22.

V. 102. *Otia agere*] Significat otiosum desidere. Virg. Geo. 3, 376. *secura sub alta Otia agunt terra.* Fast. 1, 68. *Otia terra ferax, otia pontus agit.* ubi v. Heins. Eodem modo dicitur *agitare gaudia, convivia* etc. v. Drakenb. ad Sil. It. 15, 423.

V. 105. *Vulnerer*] i. e. laedar. Virg. Aen. 8, 582. *gravior ne nuntius aures Vulneret.* Ov. Ep. 21, 38. *proprio vulneror ipsa bono.*

V. 106. *Fataque*] i. e. moriar ante, quam tu culpam committas.

V. 107. *mihi*] Jungendum cum *venturi.*

V. 113. *fallit*] i. e. latet. Liv. 31, 26. *non fefellere insidiae.* v. Drakenb. ad Sil. It. 17, 560.

V. 116. Pro *certae* scribendum *certe*, i. e. saltem. Optat enim, ne saltem ulla femina sit causa morae. v. Heins.

V. 118. *Si mea fata petis*] i. e. si meam mortem optas, cupis.

V. 120. *Hiems*] Exquisite dicitur *invida.* Hor. 4. carm. 5, 9. *Notus invido flatu.* ubi v. Bentl. Sic *ventus odiosus* dicitur supra v. 21.

V. 123. *Mater Helles*] i. e. Nephele.

V. 124. *Aquis roratis*] i. e. aquis, quae mixtae sunt lacrymis, roris instar guttati defluentibus. Manil. 5, 564. *Et casus miserata tuos roravit et undas.* v. Heins. ad h. l. et not. ad Ep. 15, 97.

V. 125. *Privigna*] Est Helle, a qua Hellespontus nomen habet. *Noverca*, in Deam maris versa, est Ino vel Leucothoe, quam Athamas alteram uxorem duxerat.

V. 133. *Lucida*] Vocatur Alcyone, quod una est ex septem Pliadibus. v. Hygin. Fab. 157.

V. 142. *Seducit*] i. e. separat, sejungit. Met. 13, 611. *quarto seducunt castra volatu.*

V. 143. *Magnum*] i. e. potentem. *Magnus* perpetuum Deorum epitheton. v. Spanh. de Us. et Pr. Num. Diss. 7. p. 447.

V. 146. *Gloriaque* etc.] i. e. tantum abest, ut juvenem natantem terrere facinus sit Neptuno dignum, ut stagnum vel modicum pudere debeat, ejusmodi facto gloriam captare. Sententiam vidit Heusing.

V. 148. *Suspectus*] i. e. invisus. Ov. Ep. 20, 173. *Hic facit, ut jaceas, et sis suspecta Dianae.* Oderat vero Neptunus Ulyxem, quod filium suum Polyphemum excaecarat.

V. 151. *Sternuit et lumen*] Veteres non modo ex hominum, sed etiam ex lucernae sternutamento, sive crepitu, omen captabant. v. viros doctos, quos laudat Burm. ad h. l.

V. 153. *Ecce merum* etc.] Burm. ad Petron. c. 23. haec capit de superstitiosa cura, ne lucerna exstingueretur. Sed tum anus oleum potius, quam merum, lucernae infudisset. Videtur potius merum instillasse, ut laetior inde flamma surgeret, quae prius omen firmaret.

V. 154. *Et ipsa bibit*] Sitientem et bibacem anum fuisse indicat, qualis Dipsas Amor. 1, 8, 2.

V. 155. *Evicta*] i. e. natando superata. Met. 15, 706. *Evincitque fretum.* Manil. 1, 602. de Argo: *quae vicerat aequor.* Val. Flacc. 5, 512. *Munera tu contra victum mihi vecta per aequor Accipe.* v. Burm. ad h. l. Sed plus est *evincere*, quam vincere. Propert. 4, 7, 2. *evictos effugit umbra rogos* i. e. plane victos, exstinctos. ubi v. Broukh. Caes. B. C. 1, 67. *Haec evicit in consilio sententia.* ubi plura exempla collegit Oudendorp.

labi] Poëtae eleganter dicunt pro navigare, ut supra ostendimus. Hic ad natantem refertur, ut Met. 14, 8.

V. 156. *O penitus* etc.] i. e. vehementer amate. Art. Am. 2, 407. *Inde Thyestiaden thalamoque animoque recepit.*

V. 158. *Ponuntur medio* etc.] i. e. cur sola dormio? Nam qui solus dormit, in medio lecto jacet. Amor. 2, 10, 17. *Hostibus eveniat, viduo dormire cubili, Et medio laxe ponere membra toro.*

V. 160. *Aequorea via*] Est aequor, per quod via facienda. Sic Ep. 16, 72. *aetherea via* est aether. Locutionem *sternere aequor* explicuimus ad Ep. 7, 49.

V. 162. *Tutius esse fretum*] Perperam Francius legit: *mitius esse fretum.* Trist. 5, 5, 18. *Tutum per mare navis eat.*

V. 166. *Geminus labor* est labor eundi et redeundi per mare. *Onus laboris* per periphrasin dicitur pro labore,

V. 169. *Quisque*] Ponitur pro uterque, quod notandum. Lucan. 1, 127. *magno se judice quisque tuetur*: quamvis et in Lucano et in hoc Ovidii loco Bentlejus legere malit *uterque*, cujus rationem non imitamur. v. Intpp. ad h. l. Nam eodem modo *quis* dicitur de duobus. Phaedr. 4, 23, 1. *Formica et musca contendebant acriter, Quae pluris esset.* Sic etiam *quinam.* Caes. B. G. 5, 44. de duobus centurionibus: *hi perpetuas inter se controversias habebant, quinam anteferretur.* ubi v. Oudend.

Iterum redeamus] Pleonastice pro redeamus. Art. Am. 3, 63. *Nec quae praeteriit, iterum revocabitur unda.*

V. 172. *Famae cedere*] h. e. succumbere. Sic *cedere religioni* Cic. ad Div. 1, 1. *cedere tempori* Caes. B. G. 7, 89. *cedere invidiae* Phaedr. 3, 9, 4. *cedere nocti* Liv. 3, 60. ubi v. Drak. Adde Burm. ad h. l.

V. 184. *In dubio*] h. e. dubium, incertum. Lucret. 3, 850. *In dubioque fuit, sub utrorum regna cadendum.* ubi v. Lambin. Sic *in incerto est* pro incertum est. Liv. 5, 28. *ut in incerto fuerit, vicissent, victine essent.* v. Drak. ad Liv. 3, 8.

V. 182. *Facito spernas*] Pro *spernito*, ut saepe.

V. 183. *Arce laboratae puppes*] h. e. fabricatae, labore perfectae. Virg. Aen. 1, 639. *Arte laboratae vestes.* ubi v. Serv. Hor. Epod. 5, 60. *Quale non perfectius meae laborarint manus.* Simplex *laborare* saepe ponitur pro composito *elaborare.* v. Graev. ad Cic. de Off. 1, 1. et Burm. ad Suet. Ner. 41.

V. 187. *Quod hortor*] Per ellipsin dicitur pro ad quod hortor. Cic. ad Att. 7, 14. *Equidem pacem hortari non desino.* ubi v. Graev. Or. Catil. 1. 5. *quod te jam diu hortor.* Sen. Ep. 121. *Virtutes exhortabor et vitia converberabo.* ubi plura Gronov. Adde Intpp. ad h. l.

V. 189. *Excussa brachia*] h. e. jactata inter natandum. v. notata ad Ep. 4, 43.

V. 191. *Obvertor ad undas*] h. e. verto me ad undas, intueor mare. Met. 2, 470. *Quo simul obvertit saevam cum lumine mentem.*

V. 192. *Frigora pectus habent*] h. e. tenent, occupant. Art. Am. 2, 318. *Corpora languor habet.* Virg. Aen. 8, 27. *pecudumque genus sopor altus habebat.*

V. 193. *Imagine*] i. e somnio. Hor. 3. Carm. 27, 40. *an vitiis carentem Ludit imago?* v. Duk. ad Flor 4, 2. p. 685. Argentea aetate *imaginari* pro somniare dicebant, ut Suet. Caes. 81.

V. 196. *Somnia quo cerni tempore vera solent*] Somnia sub lucem visa veriora putabantur, ut contra vespertinorum somniorum suspecta fides erat. Hor. 1. Serm. 10, 32. *Post mediam noctem visus, cum somnia vera.* v. Drak. ad Sil. Ital. 3, 200. et Ciofan. ad h. l.

V. 197. *Stamina de digitis cecidere sopore remissis*] Imitatur Propert. 4, 8, 53. *Pocula mi digitos inter cecidere remissos.*

V. 208. *Tum placidas tuto pectore finde vias*] *Placidas* melius esse, quam quod Heinsius reponit *placitas*, ostendit v. 207. *vicina pax undarum.* Sic *placidum mare* supra v. 91. *Findere vias* natans dicitur, ut *navigans* Ep. 16, 31. *findere mare.*

Epist. XX.

Haec et sequens epistola non est Ovidii; videtur vero illarum auctor multa sumsisse e Callimachi carmine, quod inscribebatur: Cydippe, cujus etiam mentionem facit Ovid. Rem. Am. 381. v. Callim. fragm. p. 466. ed. Ern.

V. 1. *Pone metum*] h. e. desine metuere. v. Ep. 16, 68.

Nihil pro *non* ponitur. Liv. 22. 45. *nihil consulto collega.* ubi v. Drak.

V. 3. *Sic*] De hujus particulae usu in votis diximus ad Ep. 3, 135.

V. 4. *Qui meus est ulla parte dolente dolor*] Nullus in vulgata lectione sensus. Legendum e MSS.: *qui meus est, illa parte dolente dolor.* In verbis *illa parte* ex praecedenti *meus* assumendum *mei.* Acontius Cydippen partem *sui* dicit, ut Ariadne Theseum Ep. 10, 58. v. Heus. ad h. l.

V. 7. *Crimina*] h. e. stuprum. Met. 9, 24. *Jupiter aut falsus pater est, aut crimine verus.* v. Drak. ad Sil. Ital. 6, 634.

V. 8. *Debitus conjux*] h. e. fatis destinatus. *Debere* proprie de fatis dicitur. Fatis debent se et sua homines, et fata debentur hominibus. Ep. 7, 103. *Venio tibi debita conjux.* Stat. Theb. 4, 84. *Quae debitus hospes Hiberna sub nocte tulit.* v. Burm. ad Val. Flacc. 5, 21. et ad Lucan. 7, 35. Minus bene Heins. Advers. 2, 10. p. 283. *debitus conjux* pro legitimo capit.

V. 9. *Repetas*] sc. memoria. v. Ep. 16, 277. et Heins. ad Ep. 5, 113.

V. 12. *Te potius*] h. e. te potius memorem futuram jurisjurandi, quam ut Diana neglecti jurisjurandi memor sit et te puniat. Habet autem *meminisse*, cum de Diana dicitur, ulciscendi significationem. Val. Flacc. 1, 773. *leti meminisse paterni.* ubi v. Burm. ad h. l. Contra *oblivisci* est deponere animum ulciscendi.

V. 13. *Idem timeo*] Cl. Oudend. legit: *idem teneo*, h. e. ejusdem sententiae sum. Sic ap. Terent. *antiquum obtines.*

V. 20. *Mota coma*] Hoc erat signum approbandi. Fast. 2, 846. *Visaque concussa dicta probare coma.*

V. 23. *Nisi quo*] *Quo* pro *ut* ponitur. Liv. 40, 26. *vim morbi in causa esse, quo serius perficeretur.* ubi v. Intpp.

V. 24. *Quod quereris*] Pro de quo quereris. Mox v. 34. *quodque queraris, habes.* Liv. 29, 19. *Si vera forent, quae Locrenses quererentur.* ubi v. Drak.

Conciliare potest] h. e. efficere, ut tecum nuptias contraham. Proprium est verbum *conciliare* in nuptiis. Am. 1, 13, 42. *Num me nupsisti conciliante seni.* Nep. Attic. 5. *easque nuptias M. Cicero conciliarat.*

V. 27. Scribe ex libris antiquis: *Si quid tamen egimus, arte* etc. Cicero saepe dicit *artius adstringere.* v. Heus. ad h. l.

V. 30. *Juris*] Melius est vocem *juris* cum *vafer* jungere, quam cum *consulto. Vafer juris* est peritus juris. Cic. de N.D. 1, 15. *somniorum vaferrimus interpres.* v. Intpp. ad h. l. et Ern. Cl. Cic. v. *vafer.* Acontius vero Amorem in sponsalibus adhibuit, sicut Romani juris consultos adhibere solebant ad formulas sollemnes concipiendas.

V. 36. *Caveas licet peti*] i.e. licet caveas, ne petaris. *Cavere* cum infinitivo etiam alii construunt. Sallust. Jug. 64. *caveret id petere.* Virg. Ecl. 9, 25. *capro occursare caveto.*

V. 39. *Plures componere nodos*] h. e. pluribus adstringere vinculis. *Nodus* h. l. est jusjurandum, ut *vinculum* Ep. 21, 138.

V. 41. *Mille doli restant*] Numerus finitus pro infinito, ut Sil. Ital. 7, 141. *Mille novat incepta dolis.*

Clivo sudamus in imo] Locutio proverbialis de eo, qui initio laboris haeret, deficit. Senec. Ep. 31. *respira et clivum istum uno, si potes, spiritu*

exsupera. Petron. 47. *nec adhuc sciebamus, nos in medio lautitiarum, quod ajunt, clivo laborare.* v. Intpp. ad h. l.

V. 44. *Exitus in Diis est*] h. e. in potestate Deorum.

V. 45. *Non omnia retia falles*] *Retia fallere* dicitur, qui cavet, ne capiatur.

V. 49. *Non sum, qui soleam*] h. e. non sum talis, qui soleam. Plena locutio est, non is sum, qui soleam. Cic. ad Div. 4, 2. *Si ii essemus, qui debemus.* Plin. Ep. 1, 2. *si modo is sum, qui excitari possim.* Justin. 5, 6. *Sed neque is miles erat, qui nomen Atheniensium tueretur.* Pluribus hanc elegantiam explicant Bentl. ad Hor. 1. Serm. 9, 55. et Burm. ad h. l.

V. 64. *Pignus vocis*] Ponitur pro voce, quae est pignus.

V. 67. *Passo*] Repetenda est vox *invidiam.*

V. 69. *Hesionen Telamon*] Hercules liberatam a se Hesionem Telamoni comiti suo in matrimonium dedit, quod ejus opera Trojam expugnarat. v. Serv. ad Virg. Aen. 8, 157.

V. 73. *Tenuabimus iram*] h. e. minuemus. Met. 5, 473. *ac mecum vires tenuantur amoris.*

V. 74. *Placandae tui*] Recte Heinsius praefert MSS. lectionem *placandi tui.* Nam gerundia in *di* adjunguntur genitivis utriusque generis et numeri. Ter. Hecyr. 3, 3, 12. *ego ejus videndi cupidus.* Loquitur de virgine. Phorm. 5, 7, 40. de muliere: *potestatem ejus habendi se dare.* ubi v. Bentl.

V. 75. *Flentem liceat*] *Flentem* pro flenti. De hac constructione diximus ad Ep. 14, 64.

V. 78. *Crura*] h. e. genua, quae Misericordiae dicata sunt. Sic veteres aurem consecrarunt Memoriae, frontem Genio, dextram Fidei. v. Plin. H. N. 11, 45. et Serv. ad Aen. 3, 607.

V. 79. *Jura*] h. e. potestatem. v. nott. ad Ep. 4, 12.

V. 81. *Imperiosus*] h. e. crudelis, qui imperio suo abutitur. Cic. Parad. 5, 3. *jam illa cupiditas, quam imperiosa! quam vehemens!* Liv. 7, 40. *eodem tenore imperiosa dictatura geretur.*

V. 87. *Quantum volet*] i. e. pro arbitrio suo. Vell. Pat. 2, 120. *hereditatem, in quantum voluit, adiit.* Seneca Pater Contr. 3. p. 221. *sufficiebat illi, in quantum voluerat, explicandi vis.*

V. 89. *Omnia ferre*] Scribendum potius: *omnia ferri,* sc. a me.

V. 93. *Quod jus est*] Heusing. e codd. vestigiis legit: *quod tu vis.* Cic. N. D. 1, 38. *Imago ejus, ut vos vultis, in animum meum saepe incurrit.*

V. 98. *Vocem memori condidit aure tuam*] h. e. vocem audivit et alta mente repositam servat. *Memorem* vero *aurem* dicit, quod auris dicata erat Memoriae, ut modo diximus.

V. 100. *Quod nolim*] Frequens formula in omine avertendo. Coelius Ciceroni Ep. 2. *si, quod nolim, adversi quid evenerit.* Contraria formula est: *quod malim.* Ov. Ep. 21, 35. *Si tibi deformis, quod mallem, visa fuissem.* v. Intpp. ad h. l.

V. 101. *Testis erit Calydonis aper etc.*] De fabula, quae hic respicitur, diximus ad Ep. 9, 156. Heinsius hoc distichon spurium censet. Corruptum esse, facile largiar: adulterinum esse, nego. Nam in Cydippes responsione v. 177. non solum Actaeon et Niobe, sed etiam Oeneus, qui Meleagri pater fuit, commemoratur. Heusing. distichon desperatum feliciter sanavit: *Testis erit Calydonis aper, sus saevus, ut illo Sit magis in natum saeva reperta parens.*

V. 103. *Actaeon*] Actaeonis fabulam enarrat Ov. Met. 3, 131. sqq. Niobes 6, 146. sqq.

V. 107. *Dicere verum*] Qui nunc latine loquuntur, patriae linguae consuetudine decepti dixissent: *dicere veritatem.* Sed tenendum est discrimen inter *veritatem* et *verum,* quod egregie explicat Cl. Ernestus Clav. Cic. v. *Veritas. Veritas* dicitur de vero, quatenus cogitatione sejungitur a rebus, quibus inest: e. g. *amans veritatis, studium veritatis* etc. *Verum* autem dicitur concrete de vero facto, vero dicto: e. g. *verum dicere, verum narrare.*

V. 109. *Hoc est quod*] Ponitur pro *ideo*. Virg. Aen. 2, 664. *Hoc erat alma parens, quod me per tela.* ubi v. Serv. Liv. 5, 2. *hoc illud esse dictitantes, quod aera militibus sint constituta.* Petron. c. 93. *hoc est, quod promiseras, ne quem hodie versum faceres.* ubi v. Burm. Ceterum *est* in hoc versu minus eleganter repetitur. Forte pro primo *est* scribendum *heu*.

V. 110. *Saepe jaces*] Male Burmannus *saepe* in *nempe* mutat. Nam Cydippe jam ter aegrotarat, ut planissime apparet ex seq. Ep. v. 157. Vetat etiam aliquid mutare v. 113.

V. 113. *Existere*] Burm. legere tentat *persistere*. Sed *existere* ponitur pro esse, ut Ep. ex P. 1, 8, 20. *Se nimis ulciscens, exstitit ipse nocens.*

V. 115. *Animosae virginis*] *Virgo* est Diana. *Animosa* dicitur violenta, ut Ep. 8, 3. *animosum* Achillem vocat. v. Burm. ad Am. 2, 17, 7.

V. 118. *Facies*] Hic est totus corporis habitus, omnis forma. Nam *vultus* mox sequitur. Cic. de Orat. 1, 28. *facies, vultus, sonus, vox tragoedorum.* p. Rosc. Com. 10. *facies non erat, ars erat pretiosa, nemo eum ex trunco corporis spectabat* etc. v. Gell. 13, 29. et Broukh. ad Propert. 4, 4, 19.

V. 119. *Ad nostra incendia natus*] *Natus ad aliquid* vel *natus alicui rei* dicitur, qui alicui rei aptus, accommodatus est. Hor. 1. Carm. 27, 1. *Natis in usum laetitiae scyphis.* Cic. ad Div. 4, 13. *natus ad agendum aliquid semper dignum viro.* Met. 2, 223. *natusque ad sacra Cithaeron.* Amor. 1, 9, 41. *discinctaque in otia natus.* v. Duk. ad Flor. 1, 13. p. 105. et Drak. ad Liv. 4, 13.

V. 125. *Macerare*] Cum ad animum refertur, significat cura ac dolore efficere, angere. Ter. Andr. 5, 3, 15. *Cur me excrucio? cur me macero?* Liv. 5, 54. *quae vos macerent desiderio.* ubi v. Drakenb.

V. 127. *In caput haec nostrum eveniant*] Frequens haec imprecandorum malorum formula a Graecis fluxit, qui dicunt εἰς κεφαλήν σοι. Ibid. 448. *Eveniant capiti vota sinistra tuo.* v. Heins. ad h. l.

V. 133. *Medicorum jussa*] Sunt, quae nunc barbare vocant *recepta*. Proprie autem medici, cum pharmaca praescribunt, *jubere* et *imperare* dicuntur. Ter. Andr. 3, 2, 4. *Quod jussi, ei date bibere, et quantum imperavi, date.* Petron. 56. *medici mihi jubent anatinam parari.* ubi v. Burm. quem nuper compilavit Jac. Martorell. de Theca Calam. T. 1. p. 139. Graeci similiter medicorum praescripta dicunt προςτάγματα, ut Plato Polit. p. 178. v. Periz. ad Ael. V. H. 2, 37.

V. 134. *Manus effingere* est leviter tergere, demulcere. Cic. p. Sext. 35. *effingi sanguinem spongiis e foro.* Etiam simplex *fingere* eodem sensu dicitur. Fast. 5, 409. *Ille manus aegras manibus fingebat amicis.* Virg. Aen. 8, 634. *et corpora fingere lingua.* Hanc notionem egregie explicat et exemplis confirmat Heins. ad h. l.

V. 137. *Assidere*] Proprie dicitur de illis, qui, vel ut medicinam ministrent, vel consolationis causa, aegris adsunt. Plin. Ep. 1, 22. *Nunc nihil scribere assidenti vacat.* Apul. Met. 8. p. 266. *quasi parentem assideret aegrotum.* v. Drakenb. ad Liv. 25, 26. et Intpp. ad h. l.

V. 139. *Tentat venam*] i. e. tangendo explorat. Suet. Tib. 72. *existimans tentatas ab eo venas sibi.* v. Intpp. ad Phaedr. 3, 10, 26.

V. 139. *Salientem venam*] i. e. nobilem. Virg. Geo. 3, 460. *ferire salientem sanguine venam.* In eadem re proprium quoque verbum est *micare*. Cic. N. D. 2, 24. *venae et arteriae micare non desinunt quasi quodam igneo motu.*

V. 140. *Per causam*] i. e. sub praetextu. Trist. 2, 451. *Per causam meminit se tetigisse manum.* Liv. 2, 32. *per causam renovati ab Aequis belli urbe educi.* ubi v. Drakenb. Sic *causari* dicit pro praetextum afferre. Liv. 3, 64. *consensum patrum causabantur.* Adde Intpp. ad h. l.

V. 142. *Plenior*] i. e. major, amplior. *Plenus* saepe pro magno dicitur, ut ap. Cic. p. Rosc. Am. 2. *in alienam pecuniam, tam plenam atque praeclaram, invadere.* v. Burm. ad h. l.

V. 143. *Praecerpere messes*] Locutio translata e re rustica. Plin. H. N. 18, 19. *ne germinum tenera praecerpant.* Metaphorice etiam ap. Cic.

Verr. 4, 37. *Non praecerpo fructum officii tui, non alienam mihi laudem appeto.* v. Heins. ad h. l.

V. 144. *Ad sepem* etc.] Pulcre continuat metaphoram. *Seps* est ager sepibus munitus. Val. Flacc. 6, 537. *non pascua, non seps Hic tibi.* v. Heins. ad h. l.

V. 149. *Vacuis*] i. e. non desponsis. Sic *vacuus lectus*, in quo deest maritus vel uxor, saepe apud Ovidium. Et *mulier vacua*, vidua, vel non habens maritum, ap. Tac. Ann. 13, 44. Sed cum Ovidius addat verbum *vindicare*, significat, se hanc locutionem duxisse e jure, ubi *vacua* dicuntur, quae a nemine occupantur, a nemine vindicantur. v. Brisson. de V. S.

V. 150. *Si nescis*] i. e. ut hoc scias, ne hoc ignores. Venusta formula. Virg. Ecl. 3, 23. *Si nescis, meus ille caper fuit.*

V. 153. *Tibi dicimus*] Est graviter increpantis et minantis formula. Ter. Eun. 2, 3, 45. *Heus! heus! tibi dico, Chaerea.* Met. 9, 122. *tibi, Nesse biformis, Dicimus.* v. Intpp. ad h. l.

V. 155. *Et tu humani* etc.] Durissima est elisio vocis *tu*, nec commodus sensus in v. *humani.* Non spernenda videtur P. Francii conjectura: *Nam quod habes et tu thalami verba altera pacti.* *Altera verba* sunt promissa contraria iis, quibus Cydippe se mihi pepigit. v. Heusing. ad h. l.

V. 157. *Se pepigit*] *Pangere* et *pacisci* legitima verba sunt de sponsalibus, quae centies *pacta* dicuntur. Met. 7, 700. *Alter agebatur post pacta jugalia mensis.* ubi v. Heins. Sed illud inprimis notandum est, scriptores Latinos plerumque puellam *viro pactam* dicere, rarissime *virum* puellam *pactum.* Liv. 4, 4. *ex qua domo pactus vir esset feminam, in matrimonium duceret.* Id. 44, 30. *Dardanorum principis filiam pacto fratri eum invidisse.* ubi v. Duker.

V. 159. *Adjurare*] Est vehementius et gravius jurare, sive dejerare. Virg. Aen. 12, 816. *Adjuro Stygii caput implacabile fontis.* v. Heins. ad h. l.

V. 164. *Cubare*] Simpliciter dicuntur, qui morbo decumbunt, sive aegrotant. Hor. 2. Ep. 2, 68. *cubat hic in colle Quirini.* v. Is. Casaub. ad Greg. Nyss. p. 85.

V. 172. *Sed quid, Cydippe* etc.] Burm. negat, se haec verba satis capere. Sed debuerat sequi editionem principem, in qua planissimo sensu legitur: *Ad te, Cydippe* etc. Acontius a v. 133. per excursum expostulavit cum rivali suo. Sed nunc ejus epistola revertitur ad Cydippen, unde deflexerat.

V. 177. *Repuleris*] i. e. repulsam ferre jusseris. Signata verba hac in re *repellere* et *repulsa.*

V. 181. *Et sine teste*] Frustra Francius conjicit, *vel sine teste.* Nam *et* ponitur pro etiam, ut millies. v. Drakenb. ad Liv. 43, 14.

V. 187. *Ignorantia culpae*] Dicit, quod oblita erat jurisjurandi, quod Acontio et Dianae dederat legendis verbis pomo inscriptis.

V. 189. *Cassibus*] Pessime ab Heins. et Burmanno receptum *cassibus.* Nam venator *casses ferre* dicitur, non qui incidit in casses. Revocanda igitur MSS. et editionum veterum lectio *casibus.* *Casus* sunt morbi, quibus Cydippe, quoties rivalem praeferebat, tentabatur.

V. 191. *Vitatis*] i. e. ut evitaris, effugeris. Nam simplex *vitare* saepe pro composito *evitare* dicitur, ut *fugere* apud poetas pro effugere. Multa exempla congessit Burm. ad Phaedr. 1, 31, 3.

V. 192. *Adferat manus*] MSS. meliores *offerat manus*, quod merito praefert Heinsius. v. Burm. ad Lucan. 9, 64. *Ut tibi luciferas offerat illa manus.* Poetica ratione, quam saepe vidimus, dicitur pro ut tibi Lucifera offerat manus. De lucifera Diana v. Heins. ad h. l. Graece dicitur φωσφόρος et δαδοῦχος. v. Pausan. 4, 31. et Ez. Spanhem. ad Callim. H. in Dian. 11.

V. 198. *Anxia sunt vitae* etc.] Francius corrigebat: *Anxia pro vita pectora nostra tua.* Et sic praeter alios loquitur Ovid. Met. 1, 182. *Non ego pro mundi regno magis anxius.* Sed laudavit Burmannus duo loca, ubi *anxius* cum genitivo constructum eodem sensu dicitur. Certe

Plin. H. N. 15, 18. *nepotum securitatis anxius* significat de nepotum securitate sollicitus. Sed male idem huc trahit Ovid. Met. 1, 623. ubi *anxia furti* dicitur pro metuens aliquod furtum venereum, ut recte exponit Gesn. in Thes. L. L.

V. 199. *Dubiam*] *Dubii* dicuntur aegroti et in periculo versantes. Ep. ex P. 3, 4, 8. *Ad medicam dubius confugit aeger opem.* Stat. Achill. 1, 117. *Nosse salutiferas dubiis animantibus herbas.* v. Burm. ad h. l. et ad Val. Flacc. 4, 272. Mox praeferenda videtur Heinsii conjectura: *Ignaros culpae quos liquet esse tuae.*

V. 202. *Ruboris*] Codd. MSS. fluctuant inter *pudoris* et *ruboris*. Sed praestat *ruboris*, cujus glossa est *pudoris*. Cic. de Orat. 2, 59. *praestet ingenuitatem et ruborem suum obscoenitate vitanda.* Ov. A. A. 3, 83. *Endymion non est tibi, Luna, rubori.* v. Heins. ad h. l.

V. 204. *Pharetratae Deae*] i. e. Dianae, quae sic etiam dicitur in lapide ap. Reines. Inscr. p. 104. Infra v. 229. *jaculatrix* dicitur. v. Spanhem. ad Callim. H. in Dian. 8.

Dum facis] Bene Burm. legit: *Dum facit ipsa*, nempe mater.

V. 207. *Furoris*] i. e. amoris impotentis. *Furere* pariter ac Graecum *μαίνεσθαι* de quavis vehementi animi propensione dicitur. v. Heins. ad Sil It. 2, 324.

V. 209. *Nescio qua* etc.] At supra v. 10. fatetur, se pomum illud jecisse et doli auctorem fuisse. Haec igitur non satis inter se conveniunt.

V. 210. *Doctis notis*] *Doctum* dicitur, quicquid ingeniose, callide cogitatum est, ut *doctus dolus* ap. Plaut. Mil. 2, 2, 93. v. Burm. ad h. l. et Markl. ad Stat. Sylv. 3, 3, 199. Magis tamen nobis placet Heinsii correctio *ductis notis*.

V. 218. *Si modo mater erit*] i. e. si maternum animum gerit. Sic *pater* pro animo paterno, ut supra vidimus.

V. 219. *Sic tamen et quaerat*] i. e. sic quoque quaerat. Quam elegantiam supra illustravimus.

V. 221. *Coryciae Nymphae*] Sunt, quae habitant circa Corycum, Ciliciae urbem, ubi etiam *antrum Corycium*, a multis celebratum. v. Serv. ad Virg. Geo. 4, 127. et Heins. ad h. l.

V. 227. *Appeteres*] *Petere* et *appetere* propria in hac re verba sunt. Sueton. Tib. 7. *quem sensisset sui appetentem.* Lactant. 1, 27. *ne sola virorum appetens videretur.* v. Cort. ad Sall. Cat. 25.

V. 228. *Juratae* etc.] i. e. etiamsi non essem talis, tamen, quia jurasti, mihi nubere debebas. Sic non opus est Heinsii correctione, ut bene vidit Clark. ad Hom. Il. *τ*. 39.

V. 229. *In somnis*] i. e. dum dormis. Met. 15, 653. *Cum deus in somnis opifer consistere visus.* Ter. Andr. 2, 5, 19. *illam in somnis, quam illum, amplecti maluit.*

V. 235. *Data signa sonabunt*] Intelligit tibias nuptiales, et voces clamantium Hymen, o Hymenaee. Sed hic locus vitium contraxisse videtur.

V. 237. *Ponere*] Proprium verbum est dedicationis et consecrationis. Nep. Paus. 1. *quod ex praeda tripodem aureum Delphis posuisset.* Prop. 2, 11, 27. *Has pono ante tuam tibi, diva, Propertius aedem Exuvias.* ubi v. Broukh. Ov. Ep. 15, 183. *Grata lyram posui tibi, Phoebe, poëtria Sappho.* v. Munk. ad Hygin. Fab. 3.

V. 242. *Clausaque* etc.] Melius est, e MSS. legere: *Clausula consueta sit tibi fine: Vale.* Cic. ad Div. 2, 4. *Utar ea clausula, qua soleo.* v. Burm. ad h. l.

Epist. XXI.

V. 2. *Juraret Deos*] Ponitur pro per Deos. v. not. ad Ep. 2, 23.

V. 7. *Omnia cum faciam*] *Omnia facere* dicitur, qui, cum magno conatu nihil effecerit, culpam a se avertit. Met. 9, 540. *omnia feci,*

Sunt mihi Di testes, ut tandem sanior essem. Rut. Lup. 1. p. 54. *omnia feci, vestrum commune commodum spectans.* ubi v. quae notavimus.

V. 8. *Justa plus parte*] i. e. plus justo, ut infra v. 30. *melior justo.*

V. 10. *In Hippolyto*] i. e. erga Hippolytum. Nam praepositio *in* cum ablativo in utramque partem dicitur pro *erga.* Sall. Cat. 52. *misericordes in furibus.* Prop. 2, 3, 10. *in puero si quis amicus erit.* Tibull. 3, 6, 19. *torvus Liber in illis.* ubi v. Broukh. Adde Intpp. ad Liv. 30, 12.

V. 14. *Medentis ope*] i. e. medici. Met. 16, 529. *nil artes posse medentum.* v. nott. ad Ep. 5, 147.

V. 18. *Colloquii vices*] Sic Virg. Aen. 6, 535. *Hac vice sermonum.*

V. 19. *Quid agamque rogantibus intus*] Construendum sic est: Et rogantibus quid agam intus, sive in cubiculo. v. Heins. ad h. l.

V. 23. *Durum est*] i. e. inhumanum, sive parum amicum est. Plin. Ep. 10, 107. *durum putavi negare, cum scirem, quantam soleres militum precibus humanitatem praestare.* ubi v. Cort. In exemplis, quae Intpp. ad h. l. attulere, *durum* alio modo dicitur.

V. 24. *Exscreat*] i. e. tussim edit. Tib. 1, 7, 36. *ante ipsas exscreat usque fores.* ubi de hoc signo in re amoris v. Broukh.

V. 26. *Trepido sinu*] Heins. frustra corrigit *tepido sinu.* Nam ex poetica ratione perinde capiendum est, ac si dixisset: a me trepida tegitur litera sinu. Timebat enim, ne literae detegerentur.

V. 28. *Adspicis ipse*] Nempe ex literis male ductis vacillanti manu.

V. 30. *Melior justo*] i. e quam aequum est, quam decet. Liv. 7. 15. *Vestalis suspecta propter mundiorem justo cultum.* ubi v. Drakenb. Curt. 10, 5. *gloriae laudisque justo major cupido.* Infra v. 170. *Et gravius justo pallia pondus habent.*

Melior] Est mitior, benignior. Cic. p. Quinct. 1. *eo meliore mente te nostra verba audire oportebit.* Positivus *bonus* frequens est hoc sensu. v. Burm. ad h. l. Locus obscurus.

V. 37. *Nunc me certamine* etc.] Solemnis figura est poetarum et aliorum scriptorum, ut, cum unum alloquantur, tamen plurali numero utantur, sermonem ad reliquos intendentes. Virg. Aen. 9, 525. *Vos mihi, Calliope, precor adspirate canenti.* ubi v. Intpp. Sic Cic. de Orat. 2, 47. unum nominans, duos respiciens ait: *Quamobrem vos hoc doceo, Sulpici.* v. Burm. ad Val. Flacc. 8, 178. Attamen hic locus minus recte ad hanc figuram trahitur a Drak. ad Sil. Ital. 3, 222. Neque enim Cydippe de uno Acontio loquitur, sed de Acontio et ejus rivali.

V. 41. *Certus Boreas*] i. e. constans, flans uno tenore. Luc. 5, 415. *flatus incumbere certos.*

V. 45. *Tempus ad ipsum*] i. e. circa vel sub ipsum tempus. Cic. ad Att. 1, 3. *venias ad id tempus, quod scribis.* ad Div. 3, 7. *cum ad hiemem me ex Cilicia recepissem.* Suet. Domit. 16. *ad mediam noctem.* ubi v. Graevium. Plura exempla, in quibus praepositio *ad* tempus significat, habet Oudend. ad Suet. Caes. 31.

V. 48. *Offensos Deos*] i. e. infensos, iratos. Quae vocis significatio non satis placet Micyllo. Frustra. Fast. 1, 482. *offenso pulsus es urbe Deo.* Trist. 1, 10, 42. *Offensi quo me compulit ira Dei.* v. Intpp. ad h. l. et Oud. ad Suet. Caes. 19.

V. 51. *Dicere famam*] *Dicit fama*, ut alibi *fama loquitur, narrat, nuntiat.* Apul. Met. 8. in. *idque sic erat, et fama dicebat.* v. Oudend. ad Suet. Caes. 33.

V. 54. *Plector ego*] i. e. poenas do. Sic eleganti formula *merito plecti* dicuntur, qui meritam poenam post factum agnoscunt. Cic. de Off. 2, 8. *jure igitur plectimur.* v. Gron. ad Plaut. Truc. 2, 3, 22.

V. 58. *Perdere velle velis*] Constructio haec est: Ut serves me, precor, ut velis velle perdere me. *Velle velis* suspectum est Heinsio; defenditur a Burmanno, sed minus aptis exemplis. Nihil mutandum esse, egregie docet Jer. Markl. libro Anglice scripto de Bruti Epistolis p. 86. *Velle velis* eodem modo dicitur, quo *noli velle*, h. e. ne velis velle. Cic. Phil. 7, 9. *Nolite igitur id velle, quod fieri non potest.* p. Mur. 25. *nolite*

a me commoneri velle. Nep. Att. 5. *Noli adversum eos me velle ducere.* Marklandianam rationem probant Gesn. in Thes. L. L. v. Volo et Heusing. ad h. l.

V. 62. *Gratia nulla tua est*] scil. qua vis videri, multum posse apud Dianam. v. Met. 4, 653. et Burm. ad h. l.

V. 65. *Tempore in illo*] Etsi praepositio plerumque in hac forma omittitur, aliquando tamen ab optimis scriptoribus additur. Cic. p. Quinct. 1. *hae res contra nos faciunt in hoc tempore.* Liv. 1, 57. *gens in ea aetate divitiis praepollens.* ubi v. Drakenb.

V. 68. *Hora sinistra*] Veteres alios dies faustos, alios infaustos ducebant, eosque in fastis notabant, ut semper cognosci possent ab iis, qui iter aggredi, vel aliud novum opus inchoare vellent. Juven. 6, 576. *Ad primum lapidem vectari cum placet, hora Sumitur ex libro.* De hac superstitione praeclare Graev. Lectt. Hesiod. 16.

V. 82. *In meis oculis Delos erat*] h. e. in conspectu. Liv. 37, 28. *cum in oculis populatio esset.* ubi v. Drakenb. Similiter *ante oculos.* Serv. Sulpicius Ciceroni 4, 5. *Nunc prostrata et diruta ante oculos jacent.*

Candida Delos] h. e. fulgens, nitens. Proprium insularum epitheton. Burm. comparat Gr. λιπαρός. Sed eum refellit Ernest. ad Callim. H. in Del. 164.

V. 84. *Laberis* etc.] Vulgatissima fabula est, Delum, antequam Latona ibi pareret Apollinem et Dianam, mobilem in mari errasse. v. Callim. H. in Del. *Labi* vero est natare, ut supra explicuimus.

V. 85. *Institeram*] Est ab *insisto*, non ab *insto*, quod hic cum Dativo struitur, ut multis aliis locis. Liv. 25, 33. *prope vestigiis abeuntium insistebat.* ubi v. Drakenb. Errat igitur Serv. ad Aen. 6, 708. tantum dici putans: *insisto illam rem.*

V. 89. *Crinibus*] Legendum *cruribus.* Nam de crinibus comendis jam praecesserat. Idem vitium vidimus Ep. 15, 75.

V. 91. *Superis*] Ex more veterum, quo peregre advenientes sacra faciebant Diis, quorum tutelae loca essent, in quae venissent. v. Met. 1, 320. Virg. Aen. 7, 136. et Muret. ad Catull. 32.

V. 94. *Festaque*] Elegans Heinsii conjectura: *Sectaque famosis ingerit exta focis.* Sic Fast. 4, 638. *Sectaque fumosis exta dedere focis.*

V. 95. *Sedula*] Perpetuum est *nutricis* epitheton. Met. 10, 438. *male sedula nutrix.* v. Bentl. ad Hor. 3. Carm. 4, 10.

V. 99. *Structam de cornibus aram*] Apollo in Delo aram struxit e cornibus ferarum, quas Diana confecerat. v. Callim. H. in Apoll. 62. et ibi Spanh. et Ernest.

V. 100. *Et de qua*] Scribendum, ut vult Burm.: *Et Dea qua pariens arbore nixa fuit.* Arbor, quam Latona tenuit, ab aliis *oliva*, ab aliis *palma* dicitur. v. Met. 6, 335. et Callim. H. in Del. 210. et Munk. ad Hygin. 140.

V. 107. *Carmine tali*] Carmen omittit Cydippe, ne illo recitando iterum se jurejurando obstringat.

V. 111. *Confusus*] Saepe absolute dicitur perturbatus quocunque animi motu: sed saepe etiam exprimitur affectus, quo quis perturbatus est, ut confusus pudore, ira, dolore. Curt. 7, 7. *Alexander non ira solum, sed etiam pudore confusus.* v. Drakenb. ad Liv. 6, 6.

V. 113. *Defixa*] h. e. stupens, attonita. Flor. 2, 6. *Steterunt diu mutua admiratione defixi.* Stat. Achill. 2, 158. *Figit gelidus Nereida pallor.* v. Burm. ad h. l. et ad Val. Flacc. 4, 226.

V. 114. *Ministra*] Nempe oculorum ministerio legerat illa verba. Sed notandum, *ministra* contra veterum consuetudinem adjective dici.

V. 117. *Consistere*] Eleganter dicitur, qui paratus stat ad proelium. Plin. H. N. 7, 20. *Milo athleta cum constitisset.* Val. Flacc. 8, 133. *rapta victor consistit in hasta.* Ov. Art. Am. 1, 207. *Consistes, aciemque meis hortabere verbis.* v. Burm. ad h. l.

Peltata] i. e. pelta armata.

V. 118. *Penthesilea*] Amazon, Martis et Otrerae filia, quam Achilles secum congressam ad Trojam interfecit. v. Hygin. 112. et Serv. ad Aen. 1, 491.

V. 120. *Hippolyte*] Et ipsa Amazon, quam interfectam Hercules balteo spoliavit. v. Schol. Apoll. Rhod. 2, 780. et Hygin. 30.

V. 121. *Verba*] Nomen *verba* repetitur diversa significatione; sed hoc frigidum et ineptum est.

V. 122. *Prudens dolis*] Heinsius legere malit: *prudens doli* i. e. gnara doli. Tac. Hist. 2, 25. *Celsus doli prudens repressit suos.* v. Cort. ad Sall. Fragm. p. 954.

V. 123. *Schoeneida*] i. e. Atalantam, Schoenei filiam. v. not. ad Ep. 16, 263.

V. 125. *Puer*] i. e. Cupido. Respicit ad praecedentis Ep. v. 231.

V. 135. *Quae jurat, mens est*] Respicit ad notissimum Euripidis vs. Hippol. 612. ἡ γλῶσσ' ὀμώμοχ', ἡ δὲ φρὴν ἀνώμοτος. Quem ita vertit Cic. de Off. 3, 29. *Iuravit lingua, mentem injuratam gero.* v. Cl. Valcken. ad Eurip. l. c.

V. 141. *Sine pectore vocem*] i. e. vocem non a certo judicio et voluntate profectam.

V. 146. *Divitis*] Legendum *ditibus*, ut Heins. correxit.

V. 156. *Cadunt*] *Cadere* dicuntur membra, quae languida fiunt. Alii scriptores verbo *labi* in hac re utuntur. Quinct. Decl. 5, 16. *Quamvis tenuata de nexibus membra labantur.* Apul. Met. 8, 167. *lurore et illuvie collapsa membra.* v. Oud. ad Suet. Aug 99.

V. 159. *Vixque manu pigra*] Hoc distichon aut spurium est, aut gravi corruptela laborat; certe nec *infusa*, nec *corripit* eo modo dixit quisquam Latinorum. Egregia conjectura restituit Heusing. *Vixque manu pigra toties illusa resumit Lumina, vix moto corrigit igne faces.*

V. 162. *Et trahitur*] Intpp. haec intelligunt de Cydippe, quae, ut nova nupta, flammeo sit obnupta. Perperam. Accipienda sunt de Hymenaeo, qui ad nuptias venerit palla crocea indutus, sed vix tacto limine aufugerit. *Trahi* vero proprie dicitur vestis longa. Horat. A. P. 215. *traxitque vagus per pulpita vestem.* Sen. de Ira 2, 35. *Amictus compositus est ad legem: trahent vestem.* ubi v. Gron.

V. 165. *Projicit ipse suas* etc.] Vitiosus versus, quem pulcre restituit P. Francius: *Projicit ipse sua deductas fronte coronas.* *Deducere* coronas significat detrahere. Suet. Ner. 13. *tiara deducta diadema imposuit.*

V. 166. *Spissa amomo*] i. e. pinguia unguenta. Stat. Sylv. 1, 2, 111. *nec pingui crinem deducere amomo.* v. Spanh. ad Callim. H. in Apoll. 39.

V. 167. *Consurgere*] Omnino legendum *consistere*, ut Burm. placet.

V. 174. *Fratris opem*] i. e. Apollinis, cui herbarum potentia commissa erat. v. Ov. Met. 1, 521. et Spanh. ad Call. H. in Apoll. 46.

V. 175. *Causas depellere leti*] Eodem modo Tib. 4, 4, 1. de illo ipso Apolline: *Huc ades, et tenerae morbos depelle puellae.*

V. 176. *Titulum mortis*] Hic pentameter surreptus est Ovidio Ep. 15, 190. Est autem *titulus* causa sive vera sive falsa.

V. 178. *Imprudens*] Nempe ut Actaeon, cujus fabulam enarrat Ov. Met. 3, 138.

Labra] i. e. lavraca et fontes, in quibus lavabatur Diana. Fast. 4, 761. *nec nos videamus labra Dianae.* ubi v. Heins.

V. 180. *Atque tua* etc.] Scribendum *aque tua.* Ov. Ep. ex P. 1, 9, 48. *Aque tuis toto dividor orbe rogis.* v. Markl. ad Stat. Sylv. 2, 1, 64. Sensus est: an mater mea Latonam matrem tuam prae se contemsit, ut quondam Niobe? v. Hygin. Fab. 9.

V. 182. *Docta*] Hanc vocem variis modis tentat Heins., sed nihil mutandum videtur. *Doctam* se vocat Cydippe, quia literas tenuissimas in pomo scriptas bene legere potuit.

V. 183. *Mentiris amorem*] i. e. simulas. Vell. Pat. 2, 4. *Aristonicus mentitus regiae stirpis originem.* Justin. 35, 2. *dedit poenas Antiocho, cujus mentitus originem fuerat.* Pacat. Paneg. 25. *omnes cogebamur mentiri beatos.* Hinc passive *mentita* dicuntur ficta, commentitia, vana, quae verum imitantur et simulant. Cic. N. D. 2, 21. *quae veritate et constantia vacant, ea mentita et falsa, plenaque erroris sunt.* v. Swarz. ad Plin. Pan. 81.

V. 199. *Tecto lumine*] i. e. clausis oculis.

V. 203. *Et te juvat ista voluptas*] Accommodatius est ad sensum, quod Heinsius reponit: *Et te juvat ista simultas.* Bene Heusing. corrigit: *juvat ista voluntas.* Intelligitur Cydippae voluntas, ab altero sponso abalienata.

V. 204. *Fateri*] Est declarare, aperire. Ep. 9, 125. *Fortunam vultus fassa tegendo suos.* v. Duk. ad Flor. 4, 12. p. 827.

V. 205. *Si mihi lingua foret*] h. e. si conviciari, male dicere possem. Liv. 33, 3. *Si Aetolorum linguas retundere vellent.* Minus hic bene locus a viris doctis sollicitatur.

V. 209. *Mirabor* etc.] Est allusio ad nomen Acontii, quod Graece jaculum significat. Sed nihil ejusmodi allusionibus ineptius et insulsius, quamvis illis aliquando ne praestantissimi quidem poetae abstinuerint. v. Cl. Valcken. ad Eurip. Phoen. 639.

V. 214. *Bina tropaea*] Haec item inepta sunt et obscura. Videtur autem duo tropaea vocare, primum quod animus captus esset amore Acontii per adspectum, deinde quod corpus aegrotaret propter ingeniose excogitatum jusjurandum et iram Dianae.

V. 215. *Concidimus macie*] Verbum *concidere* indicat maciem illam celeriter et praeter naturam a moerore et curis inductam esse. v. not. ad v. 160.

V. 223. *Promissi fidem remittes*] h. e. gratiam facies promissi.

V. 227. *Prout*] Haec vox satis ostendit, hujus epistolae auctorem cadente Latinitate scripsisse. Nam primum syllaba *pro* corripitur contra bonorum poetarum consuetudinem; deinde vocem *prout* refugerunt omnes poetae, etiam comici. v. Bentl. ad Hor. 2. Serm. 6, 67.

V. 228. *Discere membra*] Burmanno durius dictum videtur. Sed *discere* exquisite dicitur pro cognoscere. Virg. Aen. 6, 755. *Adversos legere et venientum discere vultus.* v. Heins. ad Claud. R. P. 2, 367.

V. 229. *Durius et ferro* etc.] Heinsius eleganter legit: *Durius ut ferro jam sit tibi pectus. Ut* est quamvis. Ov. Amor. 3, 4, 5. *Ut jam servaris bene corpus, adultera mens est.* Liv. 22, 25. *ut vera omnia essent, secunda se magis, quam adversa, timere.* ubi v. Drakenb.

V. 232. *A Delphis*] Construendum sic: Quaeritur a Deo canente fata Delphis.

V. 233. Ex hoc et sequenti disticho vix idoneus sensus elici potest. Burmannus *is*, sc. Deus, cum *testis* jungit. Sed Deus in hac causa potius judex erat, qui sententiam ferret, quam testis. v. Heusing. ad h. l.

V. 239. *Tenere Deos*] Dicitur, qui eos benivolos et propitios habet. Amor. 3, 3, 12. *formaque numen habet.* Contra *carere Diis* dicitur, qui eos adversos habet. Lucan. 9, 1098. *caruere deis mea vota secundis.* v. Oudend. ad Lucan. 10, 397.

V. 243. *Plus virgine factum*] i. e. plus factum est, quam virginem decet.

Albinovani Elegia.

V. 1. *Neronum*] h. e. Tiberii Neronis, qui postea rerum potitus est, et Drusi Neronis, qui, rebus praeclaris gestis, in Germania morbo obiit. v. Suet. Claud. 1.

V. 3. *Miserabile carmen*] h. e. ad misericordiam movendam comparatum. Virg. Geo. 4, 514. *miserabile carmen Integrat.*

V. 5. *Nec tua te pietas distendit amore tuorum*] h. e. nec amor maternus in duos filios dividitur. Haec *pietas* eleganter *individua* dicitur a Quinctil. Decl. 5. p. 106.

V. 7. *Et quisquam*] Venustissima indignandi formula, in qua *et* eandem vim habet, quam Graecum εἶτα. Cic. p. l. Man. 15. *Et quisquam dubitabit, quid virtute profecturus sit, qui tantum auctoritate profecerit?* Ov. Am. 3, 8, 1. *Et quisquam ingenuas etiamnum suspicit artes?* ubi v. Heins. Virg. Aen. 1, 48. *Et quisquam numen Junonis adorat?* v. Passerat. ad Propert. 2, 25, 1.

Leges dicere] h. e. praescribere. v. notata ad Ov. 12, 39.

V. 8. *Lacrimas temperet*] h. e. regat, lacrimis moderetur.

V. 10. *Alterius luctu* etc.] Eadem sententia Ter. Andr. 2, 1, 9. *Facile, cum valemus, recta consilia aegrotis damus.* v. Scalig. ad h. l. *Fortia verba* sunt plena confidentiae. Prop. 1, 5, 14. *Quum tibi singultu fortia verba cadent.* Idem est *magnum loqui*, quod alias explicuimus. v. Burm. ad h. l.

V. 15. *Eripuit latebrosas hostibus Alpes*] s. e. Rhaetos Vindelicos latebris Alpium Tridentinarum expulit. De hac victoria Hor. 4. Carm. 4, 17. *Videre Rhaeti bella sub Alpibus Drusum gerentem Vindelici.* Rem plenius enarrat Dio Cass. 54. p. 751. ex quo etiam apparet, non minimas in hoc bello fratris Tiberii partes fuisse.

V. 24. *Jusque piumque*] Ex formula dicitur pro jus et fas. v. notata ad Ov. Ep. 8, 4.

V. 28. *Jovis arce*] h. e. Capitolio. v. Drak. ad Liv. 5, 47.

V. 29. *Praecipere gaudia*] Est ante capere, praevertere cogitatione. Liv. 10, 26. *tanta laetitia ac gratulatio fuit, ut praeciperetur victoria animis.* ubi v. Drakenb.

V. 34. *Hos oculos* etc.] Bene Scaliger et Heinsius ediderunt: *hos oculos illius ore premam*, h. e. meo ore illius oculos osculabor.

V. 38. *Referre*] Est meminisse, repetere, recolere mente. Ov. Rem. Am. 299. *Saepe refer tecum sceleratae facta puellae.* v. Heins. ad Ov. Ep. 5, 113. et Duk. ad Liv. 37, 6.

V. 39. *Caesaris illud opus*] Sic Drusum vocat, quia pacis et belli artibus institutus erat a Caesare. Albinovanum imitatur incertus poeta de morte Maecen. v. 6. Anthol. Lat. T. 1. p. 283. *Et magnum magni Caesaris illud opus.* v. Intpp. ad h. l.

Voti pars altera vestri] Sic ingeniose et vere restituit Heinsius. Ante nullo sensu edebatur: *veluti pars altera vestri.* Simillimus locus Ov. Fast. 5, 459. *En ego dimidium vestri, parsque altera voti.* Parentes exquisite liberos suos vocant *spes* et *vota sua.* Val. Max, 5, 4. *venite in manus nostras, prospera parentum vota.* Petron. 140. *ejus prudentiae credere se vota sua.* ubi v. Heins.

V. 45. *Quidque pudicitia*] Versus desperatae sanitatis. Sensum satis commodum habet Heinsiana conjectura: *Quidque pudicitia tantum cumulasse bonorum.*

Tenuisse animum rectum] Translatio ducta est a gubernatore, qui clavum navis in maximis fluctibus rectum tenet. Ennius Fragm. p. 132. *Ut clavum rectam teneam, navimque gubernem.* v. Gesn. ad Quinctil. 2, 17. p. 107.

V. 46. *Altius et vitiis exseruisse caput*] Hunc pentametrum aut Albinovanus sumsit ab Ovidio, aut ab Albinovano Ovidius Fast. 1, 299. *Credibile est illos*, nempe Astronomos, *pariter vitiisque locisque Altius humanis exseruisse caput.*

V. 47. *Nec nocuisse ulli*] Similiter de hac ipsa Livia Vell. Pat. 2, 130. *cujus potentiam nemo sensit, nisi aut levatione periculi, aut accessione dignitatis.*

V. 48. *Nervos*] h. e. vires, metaphora sumta ab animalibus, quorum vires in nervis positae sunt. Cic. Phil. 5, 12. *experietur consentientis senatus nervos atque vires.* Lactant. 1, 3. *minus habere singulos nervorum atque virium.* Hinc *nervos incidere*, *praecidere*, *exsecare*, item *enervare* dicitur, pro vim ac potentiam alicujus infringere. v. Intpp. ad Liv. 7, 39.

V. 49. *Nec vires errasse tuas*] Sensus est: nec potentia tua freta honores mandabas indignis, quod in campo Martio fiebat, nec judices ad ambitiosas sententias ferendas inducebas, quod in foro. v. Burm. ad h. l.

V. 50. *Quamque libet etc.*] Optime Heinsius et Burm. hunc versum ita constituerunt: *Quamque licet citra continuisse modum.* i. e. te vires tuas continuisse citra modum, quam licebat. *Citra* saepe de his dicitur, quae minora sunt, quam convenit, vel necesse est. Ov. Met. 10, 607. *Nec virtus citra genus est.* Quinctil. Decl. 246. *Saepe in scelere virtutis est nosse veneni modum, ut stetur citra mortem.* Contra *ultra* de his dicitur, quae majora sunt. Justin. 2, 6. *ultra gesti fidem patrata sunt.* Tac. Hist. 2, 114. *ultra feminam ferox.* v. Burm. ad h. l. et Duk. ad Flor. 2, 7. p. 336. Gron. Thes. L. L. v. Citra.

V. 52. *Rota*] Burm. ad Anthol. Lat. T. 1. p. 567.

V. 53. *Hic quoque sentitur*] i. e. hic quoque magno malo nostro experimur. *Sentire* saepe habet damni ac mali significationem. Ter. Eun. 1, 1, 21. *sentiet, qui vir sim.* Phaedr. 5, 2, 9. *Jam curabo, sentiat, quos attentarit.* v. Duk. ad Flor. 3, 2. et Drakenb. ad Sil. 12, 27. Burm. ad Virg. Aen. 4, 542.

V. 54. *Jus sibi facit*] *Jus* saepe est licentia, et *jus sibi facere* dicuntur, qui sibi licentiam sumunt omnia sic agendi, quasi jure agerent. Ov. Fast. 5, 203. *Et dederat fratri Boreas jus omne rapinae.* Sen. de Ira 1, 8. *ubi affectui jus aliquod voluntate nostra datum est.* v. Burm. ad h. l. et Intpp. ad Lucan. 1, 2. *Injustum jus* per figuram oxymoron dicitur, ut ap. Ov. Met. 2, 627. *injustaque justa peregit.*

V. 55. *Imperii fierent jura minora tui*] Simillimus locus Ov. Fast. 6, 758. *At Clymenas Clothoque dolent, haec fila reneri, Hic fieri regni jura minora sui.*

V. 57. *Habitu in omni*] i. e. in omni conditione fortunae. Hor. A. P. 108. *Format enim natura prius nos intus ad omnem Fortunarum habitum.*

V. 61. *Summa in arce*] Burm. male explicat in coelo: quam interpretationem contextus respicit. Legendum videtur de Heinsii conjectura: *Ille vigil, summa patriae ille locatus in arce*, ut intelligatur summus locus, quem Romae tenebat Augustus. v. Markl. ad Stat. p. 276.

V. 65. *Stirpe sororis*] i. e. M. Marcello, quem Augustus potentiae suae successorem destinarat. v. Vell. Pat. 2, 93.

V. 69. *Posito Agrippa*] i. e. sepulto. *Ponere* et *componere* sunt propria in funere verba. Virg. Aen. 4, 681. *Sic te ut posita, crudelis, abessem.* v. Intpp. ad Ov. Ep. ex P. 3, 1, 112.

Vix] Jungendum cum *bene*, ut sit modo, commodum. Ov. Met. 2, 47. *Vix bene desierat.* v. Burm. ad h. l.

V. 70. *Perficit*] Omnino legitur *percipit*, ut correxit Lips. ad Sen. Cons. ad Marc. 2.

V. 71. *Ter ante datis*] Supplendum *lacrimis* e seqq. Nempe ter lacrimas dederat Marcello, Agrippae, Octaviae: nunc Druso quarto dat lacrimas.

V. 74. *Domus*] i. e. sepulcrum. In inscriptionibus sepulcralibus saepe occurrit *domus aeterna*, *domus aeternalis*, *domus perpetua*. Marmor in Denianis p. 358 *in hoc Sepulcro viva nomen inscripsi meum, Haec est domus mea.* v. Broukhus. ad Tib. 3, 2, 22. et Fabrett. ad Inscr. p. 113.

V. 75. *Cedis; et incassum* etc.] Hoc distichon ita depravatum est, ut nullus inde sensus elici queat.

V. 82. *Duos*] i. e. Tiberium et Drusum.

V. 87. *Dissimilemque sui*] Refertur ad Neronem. *Vidimus*, inquit, *Neronem attonitum fraterna morte*, *Dissimilemque sui*, *vultu profitente dolorem.* Ov. Met. 11, 273. *illo qui tempore moestus Dissimilisque sui frutrem lugebat ademtum.* H. l. egregie explicuit magnus Bentlej. ad Hor. 2. Serm. 5, 104.

V. 91. *Adfigique*] Heinsius legere malit *adfligi*. Sed bene judicant Oudendorp. ad Lucan. 2, 31. et Markl. ad Stat. Sylv. 5, 5, 80. *adfligi* violentius esse, quam ut morienti conveniat.

V. 93. *Lumina natantia*] i. e. incerto jam motu fluctuantia, quae saepe morientibus tribuuntur a poetis. Lucr. 3, 479. *tardescit lingua, madet mens*, *Nant oculi.* Virg. Geo. 4, 495. *conditque natantia lumina somnus.* Sil. Ital. 2, 122. *parvaque oculos jam luce natantes.* ubi v. Drakenb. Markl. ad Stat. p. 334. et p. 177. Quinctil. Decl. 10. p. 216. Bentl. ad Lucan. 2, 26.

V. 94. *Lumina* etc.] i. e. mox a fratre comprimenda. v. infra 160.

V. 96. *Tremente sinu*] Markl. ad Stat. Silv. 5, 5, 80. emendat: *tepente sinu*, quod certe melius convenit antitheto *frigida.*

V. 97. *Animam fugientem* etc.] Veteres propinquos morientes osculari solebant, quasi animam per os exeuntem hoc modo excepturi et in se translaturi. Cic. Verr. 5, 45. *matres nihil aliud orabant, nisi ut filiorum extremum spiritum ore excipere sibi liceret.* Virg. Aen. 4, 684. *extremus si quis super halitus errat, Ore legam.* v. Kirchm. de Funer. 1, 5.

V. 98. *Caesas comas*] Veteres in funebri luctu crines vel evulsos, vel sectos mortuis offerre solebant. Ov. Ep. 11, 116. *In tua non tonsas ferre sepulcra comas.* Petron. 111. *laceravit vehementius pectus*, *ruptosque crines super pectus jacentis imposuit.* v. Kirchm. l. l. 2, 15. et Davis. ad Max. Tyr. Diss. 24. p. 591.

V. 101. *Liquitur* etc.] Haec comparatio ducta est ab Hom. Od. τ, 205.

V. 103. *Irrisaque tales*] Versus manifesto vitio laborat. Heins. ad h. l. et ad Virg. Aen. 4, 534. legere tentat: *irrisaque vota.* Sed commodiorem sensum habet, quod viro docto in mentem venit: *inversaque fata.* Lapis ap. Reines. p. 376. *inversus ordo mortalitatis.* Virg. Aen. 11, 287.

V. 104. *Accusat annos*] Similiter Ov. Met. 8, 529. *spatiosumque increpat aevum.*

V. 106. *Daulias ales*] v. notata ad Ov. Ep, 15, 154.

V. 110. *Oeniden*] i. e. Meleagrum, Oenei filium, quem exstinctum cum sorores praeter modum lugerent, inter fletum conversae in aves, a fratris nomine Meleagrides vocantur. Fabulam narrat Ov. Met. 8, 540.

V. 111. *Clymene*] Mater Phaëthontis: *Clymeneïdes*, Clymenes filiae, Phaëthontis sorores. Fabulam v. ap. Ov. Met. 2, 19.

V. 112. *Equis*] i. e. curru. *Equi* Latinis, ἵπποι Graecis, saepissime pro *curru* dicuntur. Ov. A. A. 1, 214. *Quatuor in niveis aureus ibis equis.* Vid. quae annotavimus ad Callim. H. in Cer. 87.

V. 114. *Lacrimas intus agit*] Elegantissime dictum pro lacrimas comprimit, compescit. *Resorbere lacrimas* dicit Stat. Theb. 5, 654. v. Heins. ad h. l.

V. 117. *In vires abiit flendi mora*] i. e. quo diutius fletus reprimitur, eo vehementius erumpit.

V. 122. *Confectae*] Aliena est altera lectio *conspectae*, quae placuit Burmanno. In *confectae* intellige moerore. Plena locutio est ap. Gruter. Inscr. p. 657. 4.

V. 130. *Magnos an rear esse Deos*] Similis impietas est in illo Ovid. Amor. 3, 3, 1. *Esse Deos, i, crede. Fidem jurata fefellit: Et facies illi, quae fuit ante, manet.*

V. 131. Veteres saepe Diis, quos adversus experiebantur, cultum praestitum exprobrabant. v. Ov. Am. 3, 9, 37. et Cl. Valcken. ad Eurip. Hippol. 1364.

V. 134. *Sinus*] i. e. vestes. v. notata ad Ov. Ep. 13, 36. Fingitur autem Livia artus inanes, sive anima vacuos, in rogo positos, ita amplecti, ut ipsa flamma Liviae vestes voret et consumat.

V. 135. *Scelerata*] i. e. infelix. *Sceleratus* interdum significationem calamitatis et infelicitatis habet, quod veteres credebant, neminem infelicem esse posse, nisi qui scelere calamitatem meruisset. Quinctil. Decl. 10. p. 218. *Nullis destituta sum tenebris, donec scelerata tacui.* Atque ita in titulis sepulcralibus *matres sceleratae* reperiuntur. v. Reines. 12. Inscr. 122. et Duk. ad Flor. 1, 12. p. 96. Gesn. ad Quinctil.

V. 137. *Summum*] Adverbialiter pro postremum. v. Intpp. ad h. l. *Tuor*] Apud antiquiores etiam in tertia conjugatione dicitur, ut ap. Lucr. 1, 300. *Nec calidos aestus tuimur.* A *tuor* est *tutus* et *tutari*. v. Voss. de Anal. 3, 36.

V. 142. *Fasces versos*] Antiquus mos erat, in funere consulum fasces inversos praeferre. Tacit. Ann. 3, 2. *praecedebant incomta signa, versi fasces.* ubi v. Lips. Nec fasces solum lictores, sed milites etiam invertebant scuta et arma. Virg. Aen. 11, 93. *Et versis Arcades armis.* Cujus ritus etiam nunc vestigia supersunt.

V. 145. *Non felix*] Ponitur pro infelix. Hor. Epod. 12, 25. *O! ego non felix.* ubi v. Bentl. Pari elegantia occurrit ap. alios *non mitis* pro *immitis*, *non aequus* pro *iniquus*, *non fragilis* pro *infragilis* etc. v. Intpp. ad Ov. Am. 1, 6, 17.

V. 148. *Facit ille parentem*] Scribendum: *vocat ille parentem*, ut Burmanno placet.

V. 149. *Ipse fuit*] i. e. mortuus est. Frequentissimus est hic euphemismus. v. Heins. ad Ov. Ep. 17, 192.

V. 152. *Orba negor*] i. e. orba non sum. Nam *negor* hoc modo resolvendum: dicor non orba, sive dicor non esse orba, i. e. non sum orba. Sic *feror* simpliciter dicitur pro sum. Ov. Met. 7, 61. *Et Dis cara feror.* Et *dicor* pro sum. Prop. 1, 9, 8. *Atque utinam posito dicor amore rudis.* Plura exempla hujus rationis v. ap. Markl. ad Stat. Silv. 5, 1. 33.

V. 162. *Neque ad veteres conditus ibis avos*] i. e. non sepelieris in Claudiae vel Liviae gentis monumento, sed in Mausoleo gentis Juliae, sicut etiam ego. Quod ita factum esse, historia docet. v. Dio Cass. 55. p. 772. In eodem monumento conditi sunt Marcellus et Agrippa. v. supra v. 67. et Burm. ad h. l. Heinsius ad A. A. 3, 21.

V. 163. *Cinis*] Notandum, ultimam in *cinis* produci. v. Markl. ad Stat. p. 54.

V. 164. *Hanc lucem*] Dura et insolens locutio *lucem nere.* Placet igitur, quod de conjectura reponit Jan. Broukh. *Hanc lucem celeri turbine Parca ferat.* Sic in hac ipsa El. v. 282. *Hanc Aurora diem, spectacula tanta ferentem, Quam primum roseis roscida portet equis.* v. Burm. Sec. ad Anthol. Lat. 1. p. 281.

V. 165. *Lacrimae sua verba sequuntur*] Hoc ipsum hemistichium habuimus in Ov. Ep. 14, 67. ubi v. notata.

V. 170. *Certus erat*] i. e. decreverat. Infra v. 228. *Corpus et intactum tollere certus erat.* v. not. ad Ov. Ep. 6, 51.

V. 177. *Consul init* etc.] Hic versus, valde vexatus ab Intpp., nullum idoneum sensum habet.

V. 181. *Vultum induit unum*] Hoc aliis verbis sic dicit infra 201. *Omnibus idem oculi, par est concordia flendi.*

V. 182. *Adversis*] Ponitur pro adversariis. Sall. Cat. 52. *multos mortales ea caussa adversos habeo.* Quinct. Decl. 7, 2. *Est adversorum meorum ista novitas.* v. Intpp. ad h. l.

V. 185. *Jura silent*] Est elegans descriptio justitii, quod in luctu publico edicebatur. Cic. in Pison. 14. *Curiae taciturnitas, silentium perpetuum judiciorum ac fori.*

Mutaeque tacent] Omnino legendum cum Heinsio: *mutaeque jacent*, ut ap. Ov. Met. 1. 149. *Victa jacet pietas.*

V. 186. *Purpura nulla*] i. e. magistratus erant sine toga praetexta. Tac. Ann. 3, 4. in describendo Germanici funere: *sine insignibus magistratus.* ubi v. Lips.

V. 188. *Ferenda*] Markl. ad Stat. p. 164.

V. 190. *Invidiae metu*] Hoc proprie dicebant *invidiam Diis facere.* Sen. Herc. Oet. 1860. *invidiam ut Deis Lugendo facias.* Lucan. 2, 36. *nullis defuit aris Invidiam factura parens.* ubi v. Oudend.

V. 198. *Duravit animum*] i. e. obfirmavit. Tac. Ann. 3, 15. *hortantibus filiis durat mentem.* Senec. Ep. 57. *Sed jam me sic ad omnia ista duravi.* Quinct. Decl. 6. p. 130. *Quamlibet duraveris animum, non ferres tamen ipsa, si videres.* v. Lindenbr. ad h. l. et Bentl. ad Hor. 3. Carm. 24, 55.

V. 202. *Adsumus omnis eques*] i. e. universus ordo equestris. Io. Clericus in Notis ad h. l. tantum equites, qui censum equestrem integrum haberent, intelligebat. Cujus errorem castigarunt Burm. ad h. l. et Fabric ad Dion. Cass. 55. p. 772. *Omnis* pro *totus* dicitur. Liv. 3, 15. *Omnis urbis loca.* ubi v. Drakenb.

V. 207. *Generosa juventus*] i. e. equites. Nam *juventus* et *juvenes* proprie de equitibus dicebatur. v. Drakenb. ad Liv. 2, 20.

V. 210. *Orsa*] Sunt verba. Male ante Heinsium legebatur *ossa.* v. Markl. ad Stat. Sylv. 5, 5, 27.

V. 211. *Tu letum optasti*] Ipsa Augusti verba sunt ap. Suet. Claud. 1. *ut Deos precatus sit, sibi tam honestum quandoque exitum darent, quam illi dedissent.*

V. 217. *Rogum celebrant*] i. e. frequentes adsunt ad rogum. Quam verbi potestatem supra explicuimus.

V. 219. *Clamore supremo*] Positis in rogo ter acclamari solebat: vale, vale, vale: interdum etiam addi formula, quae saepe in titulis sepulcralibus reperitur: Nos te ordine, quo natura permiserit, omnes sequemur. v. Serv. ad Virg Aen. 3, 67. et Kirchm. de Fun. 3, 8.

V. 221. *Flavae undae*] Tiberi tribuntur propter flavam arenam. Ov. Met. 14. 447. *In mare cum flava prorumpit Tibris arena.*

V. 227. *Fluminis ictu*] Probabilis est conjectura J. Rutgersii V. L. 6, 19. *fluminis auctu.*

V. 229. *Cursusque inhibebat equorum*] Heinsius recte emendasse videtur: *cursusque inhibebat ad aequor.*

V. 236. *Et dux* etc.] Viri docti sic legunt: *Periit arma inter et enses, Ut dux pro patria: funere caussa patet*, ut sensus sit: Licet Drusus non in bello occubuerit, sed morbo, periit tamen, ut dux, inter arma pro patria, et eodem honore afficitur, quo dux aliquis mortem pro patria in proelio oppetens. Sed locus nondum sanatus videtur.

V. 238. *Extat opus*] i. e. superest. Sen. de Benef. 1, 12. *consumi munus meum nolo: extet, haereat amico meo, convivat.* v. Markl. ad Stat. Sylv. 1. praef. p. 2.

V. 240. *Pollice certo*] Sic Hor. Epod. 13, 15. *Unde tibi reditum certo subtemine Parcae Rupere.* ubi v. Bentl.

V. 242. *Effugerent aliqua* etc.] i. e. ut immortales fierent. *Stagna profunda* intellige flumina inferorum, Acherontem, Avernum, Stygem, Cocytum. Hor. 3. Carm. 3, 5. *hac Quirinus Martis equis Acheronta fugit.* v. Theocr. 1, 140. et ibi Cl. Valcken.

V. 249. *Supremos destrue honores*] i. e. rogum structum disjice. *Destruere* proprie significat structa corrumpere. Cic. de Senect. 20. *aedificium idem destruit facillime, qui construxit.*

V. 250. *Admissis*] i. e. incitatis. v. not. ad Ov. Ep. 1, 36.

V. 252. *Structaque pendenti pumice tecta*] Vocat antra pumicea ad camarae modum curva et fornicata. Haec est perpetua antrorum de-

scriptio apud poetas, in qua quaevis saxa erosa *pumices* aut *tophi* dicuntur, inprimisque proprium verbum est *pendere*. Virg. Geo. 4, 374. *Postquam est in thalami pendentia pumice tecta Perventum*. v. Broukh. ad Prop. 3, 2, 28.

V. 257. *Subjectis comis*] i. e. erectis. Nam *subjicere* exquisitiore potestate saepe dicitur pro sursum jacere, erigere. Virg. Ecl. 10, 74. *Quantum vere novo viridis se subjicit alnus*. Liv. 6, 24. *subjectus a circumstantibus in equum*. ubi v. Intpp. Simillimus est locus Virg. Geo. 4, 385., ubi *subjicere* eodem modo de flamma dicitur: *Ter flamma ad summum tecti subjecta reluxit*. v. Scalig. ad Virg. Cir. v. 7. et Passerat. ad Prop. 1, 2, 9. Sic *submittere* aliquando ponitur pro sursum mittere, efferre. Lucr. 1, 7. *Tibi suaves Daedala terra Submittit flores*. Sil. It. 12, 640. *Submissas tendunt alta ad Capitolia dextras*. ubi v. Drakenb.

Comae] Per elegantem metaphoram igni tribuuntur. Sen. Oed. 311. *Et summam in auras fusus explicuit comam*. v. Markl. ad Stat. Sylv. 5, 3, 101. Quod poetae Latini faciunt imitatione Graecorum, ut Aesch. Prom. 1043.

V. 257. *Lambere*] Flamma venuste dicitur, quod ejus motus simillimus est vibrationi linguae. Virg. Aen. 3, 574. *Attollitque globos flammarum et sidera lambit*. Claud. R. P. 1, 168. *Lambit contiguas innoxia flamma pruinas*. Quinct. Decl. 10, 216. *quamdiu filium tenuerit adlambentibus flammis*. ubi v. Burm.

V. 260. *Faciles vultus*] i. e. placidi, qui opponuntur trucibus et duris.

Vigor] Male mutatur a Burmanno in *rigor*. Nam *vigor* proprie de acri vultu dicitur. Liv. 21, 3. *eundem vigorem in vultu, vimque in oculis intueri*. Ov. Met. 12, 397. *Gratus in ore vigor*.

V. 261. *Pectora, ingenii domus*] Ex antiquorum philosophorum doctrina pectus vel corpus *ingenii domus* dicitur. Vell. Pat. 2, 69. *In Vatinio deformitas corporis cum turpitudine certabat ingenii, adeo ut animus ejus dignissimo domicilio inclusus videretur*. Eumen. Paneg. Constant. 17. *Non frustra doctissimi viri dicunt, naturam ipsam magnis mentibus domicilia corporum digna metari*.

V. 264. *Viscera matris*] Sunt liberi. v. not. ad Ov. Ep. 11, 90.

V. 267. *Pars erit historiae etc.*] Quia mox sequitur: *Stabis et in rostris*, idcirco Markl. ad Stat. Sylv. p. 237. legendum putat: *Pars eris historiae, totoque legeris in aevo, Teque opus ingeniis carminibusque dabis*.

V. 269. *Stabis et in rostris*] i. e. statua tibi ponetur in rostris. Ov. Ep. 2, 68. *Magnificus titulis stet pater ante suis*.

V. 270. *Caussaque dicemur, nos tibi, Druse, necis*] i. e. in basi statuae inscribetur: Te ob rempublicam mortem obiisse. Infra v. 457. *Cui fuit heu! mortis publica causa*.

V. 279. *Laetisque oculis, lentusque videbo*] i. e. non solum cum gaudio, sed etiam otiose videbo; quod est hominis, qui spectaculo delectatur. Suet. Calig. 36. *plerasque feminas diligenter et lente, mercantium more, considerabat*. Sequimur autem in hoc versu emendationem Heinsii, qualem ejus editio exhibet, non qualem ejus notae per typographi errorem habent. Ante edebatur: *laetisque oculis, laetusque videbo*.

V. 283. *Adjice Ledaeos*] Haec illustrantur e Suet. Tib. 20. narrante, Tiberium suo fratrisque Drusi nomine aedem Pollucis et Castoris de manubiis dedicasse. De hoc templo v. etiam Ov. Fast. 1, 704.

V. 285. *Numeros implevit principis*] i. e. omnes partes principis peregit. Plin. Paneg 71. *Omnes comitatis numeros obibas*. ubi v. Swarz. *Numeri* in hac locutione sunt partes, quae requiruntur, ut res perfecta sit. Eaque nomina conjungit Cic. N. D. 2, 13. *quod undique aptum atque perfectum expletumque sit omnibus suis numeris et partibus*. v. Schulting. ad Sen. Contr. 3. p. 206. Ernest. Clav. Cic. v. Numerus.

V. 290. *Cur adeo fratres Deos*] Supplicaturi aut gratias acturi propria locutione *adire Deos*, vel *adire ad Deos* dicebantur. Tib. 1, 5, 39. *Num feror incestus sedes adiisse Deorum?* ubi v. Broukh. Suet. Calig. 22. *aede Castoris et Pollucis in vestibulum transfigurata, consistens saepe inter fratres*

Deos, medium se adorandum adeuntibus exhibebat. v. Heins. ad h. l. *Fratres* vel *fratres Dii* eximie dicuntur Castor et Pollux. Ov. Ep. ex P. 2, 2, 85. *Fratribus assimilis, quos proxima templa tenentes* etc.

V. 295. *Comites*] Comites magistratuum provincialium dupliciter dicebantur. Nam interdum eo nomine intelliguntur ii, qui cohortem praetoriam constituunt, praefecti, medici, scribae, accensi, haruspices, praecones. Sed *comitum* nomine etiam, et quidem magis proprie, dicuntur amici, propinqui, philosophi, grammatici, qui cum magistratu in provinciam proficiscuntur, ut cum eo habitent, coenent, otiumque ejus suaviter fallant. De his Burm. ad h. l. Sed explicatius et distinctius Ernest. Excurs. ad Suet. Tib. 46.

V. 299. *Dignissima*] i. e. Antonia minor, Antonii Triumviri ex Octavia, Augusti sorore, filia. v. Suet. Calig. 1.

V. 302. *Cura*] *Cura* dicitur, quae curatur, amatur. Virg. Ecl. 1, 58. *raucae, tua cura, palumbes.* Ov. Am. 1, 3, 16. *Tu mihi, si qua fides, cura perennis eris.* Graeci eodem sensu dicunt ἐμὸν μέλημα. v. Scalig. ad Virg. Cir. 75. Sic *amor* dicitur, qui amatur, *odium* pro homine odioso. v. Drakenb. ad Liv. 6, 27.

V. 304. *Conjux magni Jovis*] Dicitur Livia, conjux Augusti. Infra v. 380. *Quodque etiam magno consociata Jovi.* Saepe illius temporis poetae Augustum per adulationem *Jovem* appellabant, ut Ov. Trist. 1, 1, 81. Prop. 3, 3, 6.

V. 308. *Mota in nomen lingua*] i. e. lingua se movit, ut nomen tuum pronuntiaret. Male P. Francius legere tentat: *ad nomen.* Stat. Sylv. 2, 1, 104. *motas etiam tum in murmura voces.* ubi v. Markl.; item ad 3, 5, 34.

V. 314. *In orbe novo*] i. e. in orbis parte nondum cognita Romanis.

V. 320. *Terruit admissos sanguinolentus equos*] Hic quoque versus tam similis est Ovidiano Ep. 1, 36. *Hic lacer admissos terruit Hector equos.* ut alter poeta ab altero sumsisse videatur.

V. 321. *Evadne*] Iphidis filia, Capanei conjux, se in eundem rogum conjecit, quo maritus conflagravit. v. Eurip. Suppl. 999. et Apollod. 3, 3, 7. p. 181. De hac ipsa Ov. A. Am. 3, 21. *Accipe me, Capaneu: cineres miscebimur, inquit Iphias, in medios desiluitque rogos.*

V. 330. *Inter honoratos excipietur avos*] Albinovanus imitatus videtur Propert. 4, 11, 102. *Cujus honoratis ossa fruantur avis.* Sic enim Heins. ad h. l. legit, idque pluribus confirmat Adverss. 1, 3. et in Notis ad Propert. p. 762. *Honorati* dicuntur, qui summis honoribus, v. c. consulatu, praetura usi sunt. v. Davis. ad Cic. Tusc. 1, 35. Ceterum comparandus hujus El. v. 162. *ad veteres conditus ibis avos.*

V. 338. *Quod solum*] Bene Heinsius legit *solus.* Nam Drusus inter Romanos primus ac solus tulit nomen Germanici. Ov. Fast. 1, 597. *Et mortem et nomen Druso Germania fecit.* Adde Suet. Claud. 1.

V. 339. *Tot annos*] i. e. tam paucos annos. Nam *tot* etiam de paucis dici, exemplis docet Burm. ad h. l.

V. 340. *Quaerere*] Eleganter dicitur de iis, quae absunt, quae desiderantur. Sall. Jug. 85. *quem vos imperare jussistis, is imperatorem alium quaerit.* Liv. 25, 38. *nequidquam mox omissam opportunitatem quaerat.* v. Broukh. ad Tib. 2, 3, 26. et Duk. ad Flor. 1, 16. p. 145. Markl. ad Stat. Sylv. 3, 5, 52.

V. 341. *Sublime*] Adverbialiter pro in sublime.

V. 343. *Condidit*] Burm. exponit: celebravit. Sed vitium in hoc verbo haerere videtur.

V. 347. *Lumina rerum*] Scaliger pulchre corrigit: *culmina rerum.* Nam *culmina* rectius humili vulgo opponuntur, quam *lumina. Lumina rerum* dicitur, ut *pulcherrime rerum* ap. Ov. Ep. 4, 125. ubi v. not.

V. 348. *Praecipuum*] i. e. non commune cum aliis. Cic. ad Div. 4, ult. *non debes fortunam praecipuam postulare, aut communem recusare.* v. Drakenb. ad Liv. 3, 14.

V. 354. *Infragilem animum*] i. e. fortem et invictum. *Infragilis* vox est ap. Ov. Trist. 1, 5, 53. ubi v. Intpp.

V. 355. *An melius per te*] Verissimum est, quod ait Vell. Pat. 2, 126. *Facere recte cives suos princeps optimus faciendo docet.*

V. 358. *Turbae vix satis una ratis*] Similis locus Petron. c. 121. *Vix navita porthmeus Sufficit haec simulacra virum traducere cymba; Classe opus est.*

V. 362. *Triplex vaticinantur opus*] Respicit philosophos, imprimis Lucr. 5, 95. qui docebant, triplex opus i. e. coelum, terram et mare, aliquando periturum. Albinovanum manifesta imitatione expressit Ov. Trist. 2, 425. *Explicat ut caussas rapidi Lucretius ignis, Casurumque triplex vaticinatur opus.* H. l., in quo summi viri frustra fuerant, egregie constituit explanavitque Heins.

V. 369. *Vita data est utenda*] Albinovanus imitatus est Cic. Tusc. 1, 39. *Natura quidem dedit usuram vitae, tanquam pecuniae, nulla praestituta die. Quid est igitur, quod querare, si repetit, cum vult? ea enim conditione acceperas.* ubi v. Davis. *Utendum dare* propria formula est in commodato. Ov. A. A. 1, 433. *Multa rogant utenda dari: data reddere nolunt,* ubi v. Intpp.

V. 371. *Dispensat*] i. e. dividit, distribuit. Ex Albinovani fonte rivulos duxit Coel. Firmianus Anthol. Lat. T. 1. p. 557. *Haec aufert juvenes, et retinet senes, Injusto arbitrio tempora dividens.* v. Heins. ad h. l.

V. 372. *Sustinet illa senes*] i. e. senum fata moratur, mortem differt. De hac verbi potestate v. not. ad Ov. Ep. 1, 114.

V. 374. *Caecis caeca triumphat equis*] Markl. ad Stat. Sylv. 2, 1, 47. putat, poetae oculis vel animo obversatam fuisse tabulam, in qua repraesentaretur Fortunae triumphus sive Dea caeca vecta curru caecis equis juncto.

V. 376. *Sollicitare animos*] i. e. commovere iram.

Potentis herae] i. e. Fortunae, rerum dominae, quae simpliciter quoque hera dicitur ab Ennio ap. Cic. de Off. 1, 12. *Vosne velit, an me regnare hera, quidve ferat, fors.* *Potens* ponitur pro superba, imperiosa. Stat. Sylv. 1, 2, 77. *dominaeque potentis Ferre jugum.* v. quae annotavimus ad Rutil. Lup. 2. p. 73.

V. 379. *Nata quod es alte*] Variant Codd. in hujus loci lectione. Sed tenendum, quod editione sua expressit Heinsius: *Nata quod en alte es.*

V. 385. *Rhenus*] Heinsius eleganter emendat *Rhaetus*, ut supra 175.

Sanguine nigro Decolor] Usitata poetis loquendi ratio in magna caede describenda. Hor. 2. Carm. 1, 35. *quod mare Dauniae Non decoloravere caedes.* Ov. Trist. 4, 2, 42. *Decolor ipse suo sanguine Rhenus erit.* Stat. Theb. 12, 420. *Qui turbatus adhuc et sanguine decolor ibat.* Minuc Fel. c. 7. *ut Thrasymenus Romanorum sanguine et major esset et decolor.* v. Heins. ad Ov. Ep. 9, 3.

V. 389. *Armenius — Dalmata*] De expeditione in Armeniam v. Vell. Pat. 2, 94. et Tac. Ann. 2, 3. sqq. De expeditione in Dalmatiam Vell. Pat. 2, 90.

V. 393. *Functus*] Primus omnium scriptorum aureae aetatis Albinovanus *functus* dixit pro defunctus, quod apud sequentes frequentissimum est. v. Burm. ad h. l.

V. 399. *Ex praecipiti*] Opponitur eo, quod *gradu* sive *gradatim* fit. Vell. Pat. 2, 1. *Non gradu, sed praecipiti cursu, a virtute descitum, ad vitia transcursum.* ubi v. Heins. Sen. Ep. 75. *Infra illum nulli gradus sunt: statim ad sapientiam praeceps est.*

V. 402. *Tria templa*] Inter prodigia, quae Drusi mortem portenderint, Dio quoque Cass. 55. p. 770. refert templa de coelo tacta et stellas cadentes, de quibus mox Albinovanus.

V. 407. *Lucifer in toto* etc.] De similibus prodigiis v. Broukh. ad Tib. 2, 5, 75.

V. 409. *Sideris hoc obitus*] Burm. legit: *sideris hunc obitus*, ut sensus sit: obitus sideris monebat, hunc Drusi obitum instare. Sed hoc durum est, nec pro facilitate hujus poetae.

V. 412. *Comprecor* etc.] Eventura precatus est poeta. Nam Livia anus vixit cum filio Tiberio sene.

V. 413. *Perque annos* etc.] Veteres illis, quos validissime diligebant, dicere solebant, paratos se, partem annorum suorum dare. Prop. 4, 11, 91. *Quod mihi detractum est, vestros accedat ad annos.* ubi v. Passerat. Stat. Sylv. 5, 1, 177. *Pars animae victura meae, cui linquere possim O utinam, quos dura mihi rapit Atropos annos.* v. Lips. ad Sen. de Brev. vit. 8.

V. 415. *Eventura*] Veteres edd. *Et ventura.* Sed viri docti bene revocarunt *Eventura.* Tib. 1, 5, 57. *Evenient; dat signa Deus.* Petron. Anth. Lat. T. 1. p. 592. *quidvis numis praesentibus optas, Eveniet.* ubi v. Burm. Sec.

Excusare priora] Est quasi veniam petere priorum. Sic enim *excusare* exquisite dicitur. Stat. Sylv. 4, 6, 70. *Fertur Thebanos tantum excusasse triumphos.* ubi v. Markl.

V. 416. *A Druso*] i. e. post Drusum, sive post Drusi mortem. Ov. Ep. 5, 152. *a nostro saucius igne fuit.* ubi plura exempla praepositionis *a* pro post positae dedimus.

V. 417. *Tu tamen ausa potes* etc.] In voce *ausa* vitium haeret. Forte cum Heinsio legendum: *Tu tamen usque potes.*

V. 418. *Male fortis*] i. e. perverse et malo tuo fortis. Hor. 1. Serm. 9, 65. *male salsus.* Alio sensu *male fortis* dicitur ab Ov. Fast. 3, 102. *Graecia, facundum, sed male forte, genus* i. e. non satis forte.

V. 419. *Paucas vitalis in horas*] i. e. parvo tempore supervictura. Ceterum hic v. propter tot voces in *as* exeuntes ingratum sonum habet. Sed tales etiam optimis poetis exciderunt, ut Prop. 2, 2, 59. *Aut quum Munychias Pallas spatiatur ad aras.* v. Markl. ad Stat. p. 344.

V. 424. *Nec sine jure*] Forte scribendum: *sed sine jure.* Jus precibus immiscere poterat Augustus, ut maritus, non filius Tiberius.

V. 428. *Umbrifera lintre*] i. e. quae fert umbras sive animas mortuorum. Charon a Statio Theb. 8, 18. dicitur *umbriferae sulcator pallidus undae.* Ceterum *linter* est generis communis. v. Intpp. ad Ov. Fast. 2, 864.

V. 432. *Nullaque umbra renavit*] i. e. et umbra non renavit. *Nullus* saepe dicitur pro non, praesertim ap. Comicos. Ter. Eun. 2, 1, 10. *tametsi nullus moneas.* Cic. de Off. 3, 14. *num feriae piscatorum essent, quod eos nullos videret.* v. Riv. ad Ter. Andr. 2, 2, 33.

V. 433. *Contigit hoc etiam Thetidi*] Similem consolationem habet Epigr. vetus Anthol. Lat. T. 2. p. 82. *Desine jam, mater, lacrimis renovare querelas; Namque dolor talis non nunc tibi contigit uni.*

Populator] i. e. eversor. Ov. Met. 12, 593. *operis nostri populator Achilles.* 13, 655. *Trojae populator Atrides.* Sensus autem est: quamvis Achilles arva Trojana vastaverit, et omnes vicerit, tamen a victis caesus occubuit, et Trojanam terram ossibus pressit. v. Burm. ad h. l.

V. 435. *Crinem solvit*] Usitatum erat antiquis, capillum solvere vel submittere in luctu. Supra v. 86. *Squallida promissa flere per ora coma.* Justin. 4, 4. *Sordida veste, capillo promisso.* Suet. Caes. 67. *audita clade barbam capillumque submisit.*

V. 436. *Immensas flatibus auxit aquas*] Comparandus supra v. 225, ubi idem dicitur de flente Tiberino patre.

V. 440. *Avidi Dei*] i. e. Plutonis, qui eadem ratione *avidus* dicitur, qua supra v. 357 Charon *avarus portitor.* Sic ap. Ov. Am. 2, 6, 39. Plutoni tribuuntur *manus avarae: Optima prima fere manibus rapiuntur avaris,* ubi male Heinsius legit *Avernis.* Nam a Graecis quoque poetis *ᾅδης ἄπληστος* appellatur. Tib. 1, 3, 4. *Abstineas avidas, mors, precor, atra, manus.*

V. 442. *Populo palam*] i. e. populo praesente, coram populo. *Palam* saepe, ut praepositio, cum ablativo construitur. Liv. 6, 14. *rem creditori palam populo persolvit.* Ov. A. A. 2, 569. *Marte palam simulat Vulcanum imitata.* v. Voss. de Anal. 4, 22. et Burm. ad h. l.

Stant rata] *Stare* dicitur, quod certum est, et mutari nequit. Cic. ad Div. 9, 11. *modo nobis stet illud, una vivere in studiis nostris.* Liv. 21, 29. *nec Scipioni stare sententia poterat.* ubi v. Intpp.

V. 443. *Non ulla fila renenda manu*] Olim mendose edebatur: *non ulla fila tenenda manu.* Sed Salmas. ad Inscript. Att. p. 98. pulcherrime emendavit *renenda.* Fila enim Parcarum nulla manu renenda venuste dicuntur, ut fatorum *nulli revolubile stamen* ap. Prop. 4, 7, 51. Ov. Fast. 6, 757. *At Clotho Lachesisque dolent, sua fila reneri.* v. Heins. ad h. l.

V. 447. *Vixi maturior annis*] Supra v. 339. in eam sententiam dixerat: *Vix credent, tantum rerum cepisse tot annos.* Stat. Sylv. 2, 1, 40. *probitas maturior aevo.*

V. 448. *Acta senem faciunt*] Similiter Sen. Ep. 93. *Actu vitam metiamur, non tempore.*

V. 452. *Frangere bella*] i. e. extinguere, rarissima est locutio, cujus exemplum Intpp. ad h. l. afferunt e Cic. de Prov. Cons. 13. *ortum repente bellum Allobrogum, atque hac scelerata conjuratione excitatum, praeliis fregit.*

V. 454. *Domus per te mea*] i. e. familia, quae mea facta est per nuptias tuas cum Augusto.

V. 456. *Nec meritis* etc.] Cl. Markl. ad Stat. 5, 1, 55. locum depravatum ita emendat: *Nec meritis* (*quamquam illa juvant magis*), *adfuit illis Major honos: titulis omnia plena vides.* ut sensus sit: Nec tamen (licet acta mea minoris sint momenti, quam illorum fuerunt), minor honos mihi habitus est post mortem, quam illis: omnia loca sunt plena titulis et honoribus meis.

V. 459. *Cingor tempora lauro*] Virg. Aen. 5, 539. *Sic fatus cingit viridanti tempora lauro.* v. Markl. ad Stat. 4, 7, 98.

V. 460. *Decursus*] Jam antiquissimis temporibus hic honor habitus est clarorum virorum funeri, ut milites armis instructi gradu militari et ludicra quadam exercitatione circa rogum decurrerent. Virg. Aen. 11, 188. *Ter circum accensos cincti fulgentibus armis Decurrere rogos.* v. Stat. Theb. 6, 213., qui hunc morem accuratissime descripsit, et Lips. ad Tac. Ann. 2, 7.

V. 461. *Oppida lecta*] Heinsio magis placebat: *oppida lata*, sive quae in triumpho aut ferali pompa circumferebantur. Sed, quod etiam Jo. Clericus vidit, *lecta* refertur ad nomina, oppidorum circumferendorum imaginibus adscripta. Propert. 3, 3, 15. *Inque sinu carae nixus spectare puellae Incipiam, et titulis oppida capta legam.* Ov. Trist. 4, 2, 19. *Ergo omnis poterit populus spectare triumphos; Cumque ducum titulis oppida capta leget.*

V. 464. *Quae fuit* etc.] Legendum cum Heinsio: *Quae subiere meum tam generosa torum.* Ita supra v. 207. loco simillimo: *Certat onus lecti generosa subire juventus.*

V. 465. *Denique laudari* etc.] Hoc jam supra v. 209. dixerat hoc modo: *Et voce et lacrimis laudasti, Caesar, alumnum.*

V. 469. *Si quid modo sentit in umbra*] Scribendum: *si quid modo sentiat umbra*, aut: *si quis modo sensus in umbra.* Solemnis veterum formula, qui de his rebus dubitanter loqui solebant. Cic. Phil. 9, 6. *si quis est sensus in morte.* Serv. Sulpic. Ciceroni 4, 5. *quodsi quis etiam inferis sensus est.* ubi v. Intpp. Lucan. 7, 749. *Da veniam, si quid sensus post fata relictum est.*

V. 471. *Est tibi, sitque*] Hanc venustissimam formulam illustravimus ad Ov. Ep. 1, 111.

V. 472. *Sit tibi salva prior*] Scribendum aut: *it tibi salva prior*, ut Heins. volebat, aut: *est tibi salva prior*, ut P. Francius.

Lecturis S. D. Fr. Tr. Friedemannus.

Cramerus, Ictus Kiloniensis clarissimus, communicavit mecum benevole, quem ipse possidet, codicem Epistolarum Ovidii Ms., ut, quidquid videretur, depromerem. Verumtamen nihil ille habet boni, nisi quod ex reliquis codd. dudum viri docti attulerunt; quapropter ultra ep. 10. nolui conferendi operam protrahere. Sed si quis est editor sive praesens sive futurus, vel alius quis, qui etiam ex spinosissimis hortis fructum aliquem colligere velit aut possit, non ego invidebo, sed lubenter, quidquid enotavi, transmittam. Speciminis loco haec sufficiant. Ep. I, 2. cod. habet *attamen*, v. 28 *vincta* et *Troica*, v. 30 *Iamque*, v. 36 *alacer missos*, v. 50 *abest*, v. 55 *ferrantur*, v. 75 *nostra*, v. 79 *in tenues crimen*, v. 86 *ille*, v. 89 *dilacerantur*, v. 99 *adeptus*, v. 106 *potest*, v. 110 *aura*, v. 112 *aures*, v. 113 *sua l. claudas*, v. 116 *invenias*. — Ep. II, v. 3 *semel*, v. 7 *quae nos*, v. 11 *fuit*, v. 17 *ut tu*, *sc.*, *valeres*, v. 18 *Cum* — *faventes* desunt, v. 20 *ipse*, v. 23 *Sed*, v. 31 *ubi sunt*, v. 44 *poenis*, v. 45 *hoc* pro *at*, v. 50 *muneribus*, v. 53 *quid i. t. p. prosunt*, v. 61 *quia te*, v. 89 *tangit*, v. 90 *Fessaque*, v. 95 *injungere*, v. 102 *et* pro *ut*, v. 103 *me* pro *te*, v. 112 *vis s. acta*, v. 122 *litora*, v. 140 *praebuerant* — *juvat*, v. 148 *necis* — *ipsa*. — Ep. III, v. 3 *adspicias*, v. 4 *hae*, v. 13 *potuit*, v. 19 *nocte*, v. 21 *sum*, v. 30 *Auxerunt blanda g. d. prece*, v. 34 *septem*, v. 41 *culpa merui*, v. 47 et 49 *vidi* omisso *ego*, v. 55 *repellar*, v. 56 *dantur*, v. 57 *aura* pro *Eos*, v. 65 *litora*, v. 76 *minuant*, v. 79 *patiere*, v. 81 *nec* pro *ne*, v. 85 *tuas* pro *tuam*, v. 88 *comprime*, v. 95 *bello*, v. 106 *cum p. pro p.*, v. 107 *quod*, v. 115 *si quisquis quaerit*, v. 132 *sinu* pro *sui*. v. 138 *urge mori*, v. 142 *animi*, v. 143 *destituar*, v. 144 *m. est*, v. 154 *more*.

INDEX
RERUM ET VERBORUM.

Numeri paginam significant. In hoc indice conficiendo adjutus sum industria L. Kirschbaumii, unius ex discipulis meis Nassoviensibus, qui, si perrexerit quo coepit, patriae aliquando honori esse poterit.

Fr.

E r r a t a.

Pag.	ad vers.	
13.	47.	3o4] scrib. 104.
14.	69.	Scyron] scrib. *Sciron.*
18.	3.	*pudeat, qui viderit illas. De*] scrib. *pudeat. Qui viderit illas, De* etc.
20.	51.	*et compensavimus*] scrib. *te c.*
22.	89.	*incerta*] scrib. *incepta.*
60.	78.	*fumosae*] scrib. *famosae.*
64.	37.	insretum] scrib. *insertum.*
69.	64.	est hujus] del. *est.*
96.	323.	*horriaa*] scrib. *horrida.*
112.	125.	efficere] scrib. *afficere.*